Ad Xtum pro morte beat.

Tu rege me, sano in corpore mentem:
Vivere da rectè, da benè Christe mori.
Protinus ex illâ quâ primum nascimur horâ
Progrediunt juncto vitaque, morsque pede.

Sum Christiani Risü R. B.

Aº 1684. d. 2.
Octobris.

B. HIERONYMUS.

Memento { Peccati tui, ut doleas.
Mortis tuæ, ut desinas.
Divinæ justitiæ, ut timeas.
Misericordiæ Dei, ne desperes.

V. CL.

IOHANNIS CASELII

in inclytâ Academiâ Iuliâ olim Professoris celeberrimi

OPERA POLITICA,

in quibus continentur

ΠΡΟΠΟΛΙΤΙΚΟΣ.

ΠΑΡΑΔΟΞΑ de victu & splendore Principum.

ΠΟΛΙΤΕΥΣΟΜΕΝΟΣ.

Nunc primùm iunctim edita

STVDIO

CONRADI HORNEI.



Christiani Casimiri Rzęu dioec. Varmien. ao 1698.

FRANCOFVRTI
In officina librariâ CONRADI EIFRIDI.

M. DC. XXXI.

Eremitarum Camald. M. C. in Insula Wigrensi, ex Legato Fris Agathangeli.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN.

FRIDERICO HULDERICO,

DUCI BRUNSUICENSI AC LUNEBURgensi,

DOMINO SUO CLEMENTISSImo S. D.

Serenißime Princeps, Domine clementißime: Anni complures sunt, quum Cels. T. Christophoro Heidmano, Eloquentiæ apud nos eheu! quondam doctori, id muneris peculiariter demandaret, vt scripta Ioan. Caselii V. CL. & non Academiæ tantum patriæq; nostræ, sed totius Germaniæ egregii ornamenti, in vnum colligeret & in lucem proferret: ita enim Cels. T. iudicabat nihil publicè vtilius esse posse, quàm si tot & tam aureæ lucubrationes, quas auctor ipse quidem olim, sed singulatim & ita tantum ediderat, vt illas amicis & iis ad quos scriptæ erant,

ferè ſolis impertiretur, in omnium manibus eſſent & à ſtudioſa iuuentute ſedulò cognoſcerentur, cum nemo omnium noſtra aut patrum memoria de illius ad eloquentiam, virtutem & ciuilem prudentiam educatione præclariora prodiderit aut prodere facilè poßit. Nec defuiſſet hac in parte aut publico bono aut Celſ. T. voluntati Heidmanus, vt ille non tantum egregia eruditione, ſed ea etiam re magnum illum præceptorem noſtrum æmulabatur, quod vtilitati publicæ totum ſe conſecrârat; niſi primò quidem hæc miſerrima & calamitoſißima tempora incidiſſent, poſtea autem è viuis ipſe exemtus eſſet, tanta certè cum iactura rei literariæ, vt ea ſatis deplorari non poßit: erat enim in Heidmanno, præter reconditas literas Græcas & Latinas, antiquitatis & hiſtoriæ veteris ſolida cognitio, tum eloquentia inſignis, virtus autem, integritas, prudentia animique fortitudo præſtans, &, quod caput omnium eſt, ſinceræ erga Deum pietatis, & commune bonum iuuandi tantum & tam indefeſſum ſtudium, vt vitam ipſam & valetudinem, qua plurimis annis prorſus debili erat, dum in vtroque illo ſtadio ita decurreret, vt animum ab vtriſque exercitiis nunquam ferè relaxaret, nimius ſtudiis tandem prodegiſſe non immerito videatur. Sed ſummus rerum arbiter eum, vt pie-

tate

tate & virtute ipsius dignum erat, in sedes beatas hoc citius transtulit, ne patriam penitus euersam & tam multa indigna in vita hac cerneret, quibus nos ob peccata nostra reseruati sumus. Post excessum autem eius, qui annus nunc quintus est, semper equidem existimaui lampada illam, quam ipse in ea parte reliquerat, mihi traditam esse, qui non tantum ex eiusdem Caselii disciplina me prodiisse gaudeo, sed & adolescens per integrum quadriennium in familia eius vixi, nec solum in optimis literis fideliter ab eo eruditus, sed tam carus habitus itaque rebus omnibus ornatus semper fui, vt non tam præceptorem quam parentem alterum vsque ad obitum ipsius eum haberem: nec enim tantum pietas erga defunctum & maximorum beneficiorum ab eo acceptorum memoria, sed & publicum commodum exposcere id deinceps à me videbantur, ne tam præclara tanti viri opera situ obduci paterer, qui vt Phœnix aliquis Saxoniæ nostræ non solum de mediocris sortis hominum, sed nobilium cumprimis & Principum educatione tam egregiè meritus esset, Academiæ autem nostræ maximum semper decus & columen fuisset. Et recordor adhuc, cum statim post obitum eius præstantissimus IC. Conradus Rittershusius Academiæ Altorfinæ quondam doctor celeberrimus

 dili-

diligenter per literas me hortaretur, vt omnia Caſeliana accuratè colligerem & vſque dum ſimul ederentur, magna diligentia aſſeruarem: nihil enim ex illis eſſe, quin luce dignum & prorſus eximium foret. Etſi autem Heidmano ſuperſtite, cumque ſemel is laborem illum in ſe ſuſcepiſſet, neceſſarium hoc adeò nõ erat: tamen poſteaquam ille fatis conceſſiſſet & nouus adhuc ἐργοδιώκτης nuper ſuperueniſſet, vir magnificus & nobiliſſimus, Ioachimus Goetz Celſ. T. Conſiliarius præcipuus, qui vt cum equeſtri ſplendore perfectam virtutem & exquiſitam doctrinam coniunxit, ita nihil in vita optabilius habet, quàm præclare de republ. & literis mereri; tandem moram abrumpendam & initium rei faciendum eſſe omnino putaui, quanquam aliis ſtudiis nunc totus immerſus. Primam itaque hanc partem his diebus, horis ſubciſiuis, adornaui, in quam tria opuſcula conieci de ciuili doctrina recte addiſcenda & principũ educatione non paulò rectius quàm vulgò fit conformanda, quæ deinceps reliqua ſcripta ordine, ſi Deus vitam & otium conceſſerit, ſubſequentur. Cæterum cuiuſmodi hæc ſint quæ nunc damus, ſapientiæ ciuilis conſulti iudicabunt, illius præſertim veræ & ſalutaris, quæ non calliditatis ſed virtutis, non dominatus aut tyrannidis, ſed regiæ benefi-

centiæ magistra est, nec malo & internecioni, sed vtilitati & præsidio generis humani nata; ad quam, si quid hac de re intelligimus, istæ, etsi nec mole nec numero magnæ, lucubrationes ita præclare & regia prorsus via lectorem ducunt, vt nobis eas relegentibus de iis id dicendum videretur, quod de Euripidis versibus oratorum princeps olim aiebat, singulas sententias singula testimonia esse. Sed hæc, vt dixi, illi censebunt qui harum rerum periti sunt. T. autem Celsitudini, Illustrißime Princeps, ea offerenda ideò arbitratus sum, non solum quod vnum istorum συγγραμμάτων iam olim ipse Caselius Serenißimo Patri T. magno Principi HENRICO IVLIO laudatißimæ memoriæ consecrarit, sed quod & hæc & omnia cætera alias etiam summo iure ad Celsit. T. spectent, cum non tantum in terris Cels. T. Caselius natus sit & in Academia Tua tamdiu docuerit, sed & tum munificentißimo Cels. T. Auo D. IVLIO & magno quem dixi Parenti, tum ipsi Cels. T. semper carißimus extiterit: quod cum omnibus notum sit pluribus nō persequar. Vnum ipse memini prorsus insigne eius rei documentum, quod Cels. T. cum ante annos viginti ex longa & diuturna per Galliā Angliam & Belgicum peregrinatione salua in terras suas rediisset, nihil prius habuerit, quàm vt Sere-

nißima primum matre ſalutata (Illuſtrißimus enim Pater iam tum in aula Cæſarea aberat) Caſelium, cuius famæ celebritas, quoquò gentium veniſſes, & ſub ipſis etiam Pyrenæis, Celſ. T. occurrerat, ad ſe in arcem Guelfiam acciret & ex tanto interuallo gratia & benignitate priſtina cupidè complecteretur. Accipe ergo, Clementißime & longè optime Princeps, eius viri ſcripta nunc etiam ſereno vultu, quem ipſe tota vita non amaſti tantum ſed in oculis tuliſti, & Eccleſiæ patriæ ac tuorum omnium certo bono diutiſſimè viue ac quàm rectißimè vale. Helmæſtadii V. Kal. Decemb. Anno M. DC. XXX.

Sereniſs. Celſ. T.

Obſequentiſs.

CONR. HORNEIVS.

VITA
IOAN. CASELII.

IOANNES CASELIVS natus est Gottingæ, vno ex præcipuis post Brunsuicum in Ducatu Brunsuigio oppidis, patre *Matthia Caselio* Ecclesiaste, matre *Catharina Calobradæa* fœmina primariæ illic familiæ, anno Christi M. D. XXXIII. XV. KL. Iun. Clarum autem & pernobile genus ei ex patre fuit ab ipsis vsque atauis, orto ex nobilissima *Chesseliorum* in Geldris familia, vbi adhuc arx Chesselium prope Mosæ ripam in colle sita nomen gentis retinet, quamquam ipse postea amissis bonis auitis & summorum virorum hortatu Caselius appellari maluit. Insignis in illa gente fuit *Gothardus Chesselius*, Sigismundo imperante, magnus cognominatus, cuius filij maxime in aula Caroli Burgundionum Ducis floruerunt, ex quibus vnus Volquinus *Gothardum* alterum genuit. Hic rursus *Matthiam* & decem præterea liberos, quorum cum alii militiam secuti essent alii mer-

caturæ se, vt apud Belgas etiam nobilium virorum interdum mos est, se tradidissent, *Matthias* natu quintus studiis & præsertim sacris se deuouit. Cumque propter belli calamitates & funestas de religione dissensiones è patria excessisset, & primum in Anglia ac Scotia, post etiam Hispania vixisset, tandem ecclesiasticum munus Gottingæ cum magna pietatis laude obiit. Fuit autem IOANNES CASELIVS filius eius natu maximus, quem postquam ipse primũ Northemij, Gandersemi, & Gottingæ, cũ primis autem à viro cl.mo & vtriusq; linguæ peritissimo *Michaële Neandro*, Northusæ initiis bonarũ literarũ imbui curasset, ille postea Wittebergam ad *Philippum Melanchthonem* se contulit: cui vt & omnibus doctis ibi per plures annos familiarissimus & carissimus fuit, sicut & postea magno illi *Ioachimo Camerario* Lipsiæ. Cumque laurum Philosophicam ad Albim meruisset, vt & aliquot annis post à Maximiliano II. poeticâ donatus esset, & tam ab hoc quam à Rodolpho II. nobilitatis auitæ renouationem amicorum potius quàm sua voluntate & opera impetrasset, &

mul-

tos annos Lipſiæ, Francofurti item ad Viadrum ac Roſtochii vixiſſet, in Italiam, eius regionis viſendæ & eruditionis augendæ gratia profectus eſt, impulſu cumprimis illuſtriſſimi Principis *Ioan. Alberti* Ducis Megapolitani, cui vt eruditionis perpolitæ maximo ἐυεργέτῃ literæ & virtus Caſelij pridem innotuerant. Bis autem eò iuit, primum quidem menſe Sext. anno M. D. LX. & tum rectâ Bononiam ſe contulit, vbi celeberrimis IC. operam dedit & inprimis viro doctiſsimo *Carolo Sigonio.* Inde Florentiam contendit fama *Petri Victorij* excitatus, cuius in alterum etiam annum cum nobiliſsimis equitibus, Gotislobo Rotermundio Rugio Pomerano, Daniele Schulenburgio Marchico & Othone Hoimio Brunſuigio auditor fuit. Deinde peragrata Italia anno M. D. LXIII. in Megapolim rediit & III. non. Quinct. Philoſophiam ac eloquentiam iuſſu Principis in Acad. Roſtochienſi docere cœpit. Quia autem paulò poſt lues peſtilens interuenit, quæ academicos diſsipauit, Caſelius Principis conceſſione in Italiam reuertit anno M. D. LXV. Et tum

trien-

triennium ferè ibi ſubſtitit, vt plurimum cum Victorio viuens, homine tum grandæuo, Piſis etiam JC.ti titulum anno LXVI. V. K. Febr. adeptus, etſi poſtea ſtudium legum, cui diligentem operam antea dederat, certo conſilio omiſit. Cæterũ ex Italia extremo anno LXVII. ad munus ſuum Roſtochium rediit, & non multo poſt in aulam migrauit, vt Principis *Ioannis*, Ioannis Alberti F. iam annos pubertatis egreſſi educationi præeſſet. Quo munere cum per quadriennium functus eſſet in academiam ſe recepit. Interea autem *Andreæ Mylii* Ducum Megapol. conſiliarii præcipui filiam *Gertrudem Myliam* vxorem duxerat prid. Kal. Octobr. anno M. D. LXXI. ex qua cum plures alios liberos ſuſcepit qui paulò poſt obierunt, tum duos filios, *Ioannem Vlricum* & *Ioannem Carolum*, totidemque filias *Margaretham* & *Annam Sophiam*, illam Theodoro Adamo IC.to inſigni, hanc Theod. Hupæo nuptam. Cum autem vxorẽ IV. eid. Febr. anno M.D.XXCIII. amiſiſſet, viduus vſque ad obitum per XXX. annos permanſit. Sed quia ingens viri fama erat, non potuit ea latere laudatiſſi-

tiſſimum Principem *Iulium*, Ducē Brunſuicenſem, in cuius prouincia natus erat, præſertim cum ille eo tempore academiam Iuliam condidiſſet, & magnis præmiis viros doctiſſimos Helmæſtadium inuitaret. Ab eo igitur tum accitus eſt, ſed cum dux Ioan. Albertus ipſum ægre dimitteret & non multo poſt ex viuis Princeps Iulius exceſſiſſet, Roſtochii manſit. Sed non minus hæſit in animo ſucceſſoris, magni Principis, *Henrici Iulii*, cui pridem ex cura quam educationis eius Caſelius etiam abſens geſſerat, notus & gratus eſſet. Is autem non quieuit, donec eum à Varno ad Elmū perduceret, quod menſe Nouembri anno M. D. XXCIX. factum. Ex eo tempore acad. Iuliam voce & ſcriptis illuſtrauit, vt antea Roſtochienſem fecerat donec anno M. DC. XIII. V. eid. April. ex hac vita paullò minor octuagenario decederet. Erat (ſi & hoc memorandum) corporis ſtatura mediocri, & valetudine tenui quidem, ſed quam magno Dei beneficio & exquiſita vitæ temperantia vſque ad tot annos conſeruauit. De doctrina autem eius, Græcarum præſertim & Latinarum literarum

exacta

exacta notitia, eloquentia præclara, & tam Philosophiæ moralis ac ciuilis, quàm omnium quæ ad iuuentutis educationē pertinent, prorsus admirabili scientia, scripta eius & fama per totam Europam iam olim celebris rectiùs nobis loquentur: nec enim nos tanti viri laudes paucis verbis digne exposuerimus, de quo ipse illustris Iosephus Scaliger, *nihil se tam magnificum prædicare posse* alicubi scripsit, *quod eius summæ virtutes nō superarent*, imò quem magnus Isaacus Casaubonus *omnis eruditionis parentem* suis ad eum literis indigitare non dubitauit. Nec doctrina tamē magis excellebat quàm vitæ innocentia & integritate, certè humanitas in eo tanta erat, vt nec in vltima senectute vlla morositas eam contaminaret: temperantiam & ab omni voluptatum studio abstinentiam perpetuò colebat; amictu non sordido, sed prorsus simplici vtebatur; honoris & opum, quas, si voluisset, nō exiguas parare sibi poterat, tantus contē-tor, vt cum primariū iam ab initio in aula Megapolitana locum inuenire posset, academicam vitam vltrò ei præoptarit, & facultates omnes, partim in eleemosynas,

partim

partim in adolescentes studiosos, qui in re tenui essent, totâ vitâ profuderit: nec enim domo aut in suburbium prodibat, quod tamen sanitatis tuendæ causa quotidie ferè faciebat, nisi eleemosyna larga instructus, qua obuios quosq; egenos impertiretur: nec tempus vnquam fuit, quo nõ plures domi ingenuos adolescentes aleret, quos erudiret simul & beneficio afficeret: superbiã, iniustitiã, fraudes, vt orcũ oderat, tã miti & placido ipse ingenio, vt & acerrimos hostes, nullius priuati sed publici boni gratia captos, non toleraret tantum, sed vbi honestè poterat, laudaret sæpè & ornaret. Cultũ sũmi Numinis non tã ostentabat, quàm ipso facto præstabat, nunquã è lectulo surgens aut cubitũ se recipiẽs, quin vnũ ex anagnostis suis per horulã ex Græcis Bibliis, quibus mirificè delectabatur, aliquid legentẽ audiret, aut, dum vltimo tempore insomnia laboraret, totam ferè noctẽ sacris carminibus pangendis transigeret. Habuerat etiã à iuuẽtute vsq; in deliciis Græcos inprimis Patres Clementem Alexandrinum, Iustinũ Martyrem, maximè autem S. Basilium & Gregorium Theologum, quorum scripta

assiduè

aſsiduè lectitabat. Poſtremò mortē tam excelſo, imò cupido animo, cum per ſemeſtre ſpatium minus commodè haberet, & paullatim non à morbo quidem ſed ab ipſa ætate vires attenuari ſentiret, exſpectabat, vt nec familiares ferret longiorem vitam ei precantes, ſed eos moneret, vt non pro iſta re ſed felici in meliores ſedes migratione vota ad Deum facerent; abſentibus etiam amicis per literas valediceret. Vnum illud, iam lecto per aliquot dies ante fatalem illam horam affixus, conqueri ſolebat, quod nemini tum vſui aut vlla re benefacere poſſet. Tandem cum vltimum hunc verſum meditatus eſſet, quem identidem ingeminabat: *Da patientem animum, Pater alme, animæque ſalutem*, & hæc Græca verba familiaribus atque adſtanti Eccleſiaſtæ recitaſſet: Εν ἐπιγνώσει ἀληθινῇ, καὶ προσκυνήσει ἀνυποκρίτῳ, τῆς ἁγίας ἀσυγχύτου καὶ ἀδιαιρέτου τριάδος, θεοῦ Πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος, πιστεύω καὶ ἐλπίζω διὰ τὸν Σωτῆρα ἡμῶν ΙΗΣΟΥΝ ΧΡΙΣΤΟΝ, τὸν ἕνα καὶ μόνον μεσίτην Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον, ΑΜΗΝ. Eaque cum verſu illo perſcribi & typis in pagella excudi iuſsiſſet, piè & placidè ſine vllo ſenſu doloris, ratione ſibi vſque ad extremum

halitum

halitum rectè constante, extinctus est & quatriduo post in primario oppidi Helmæstadiensis templo honorificè sepultus. Laudarunt eum pro funere in Ecclesia quidem *Laurentius Scheurlæus* Theol. D. & Professor, in academia verò *Christophorus Heidmanus* Eloquentiæ Professor oratione luculentâ vterque. Tumulo inscripta hæc fuere:

D. O. M. S. S.

EXVVIAS IOANNIS CASELII VIRI SVMMI ET OB ANIMI INGENIIQVE DOTES CVM ALIIS BONIS DOCTISQVE TVM MAGNIS PRINCIPIBVS INPRIMIS CARI, SAXONIÆ ADEOQVE GERMANIÆ NOSTRÆ PHOENICIS, IAM OCTVAGENARII, ET VEL OB ÆTATEM VENERANDI, SVB HOC LAPIDE CONDIDERVNT AMICI SVPERSTITES MOESTISS. CVM POTIOREM EIVS PARTEM AC DIVINIOREM AD SE REVOCASSET ATQVE IN TEMPLA ÆTERNITATIS TRANSTVLISSET IMMORTALIS DEVS AD IX. APR. M. DC. XIII. IPSVM E MONVMENTIS INGENII PLVRIMIS ET NOBILISS. CERTIVS LECTOR NOSCE ET TE BREVI COGITA FVTVRVM QVOD HIC EST.

AD R.mum ET ILL.mum PRINCIPEM,

D. HENRICVM IVLIVM, PRÆSVLEM HALBERST. Ducem Brunſuig. & Luneburg.

PROOEMIVM IOAN. CASELII.

PEruetus eſt conſuetudo, adeoque à memoria hominum eruditorum in noſtram ætatem perpetuis exemplis deriuata, vt lucubrationes noſtras diuturno labore inuẽtas, eleganter litteris conſignatas, vel ad familiares amoris & beneuolentiæ teſtandæ, vel ad viros principes, & cum primis de nobis benè meritos, obſeruantiæ & grati animi declarandi gratia, muneri mittamus. Neque verò non complures ſunt aliæ honeſtæ huius rei cauſſæ. Sæpe enim inſinuare nos in animos præſtantium virorum cupimus: nec rarò iis prodeſſe volumus, ad quos ſcribimus. Quid ſibi voluerint Ariſtoteles & Cicero, cum ille commentarios ad Nicomachum filium, hic ad Marcum filium libros de officiis mitteret, nemini obſcurum eſt. Cæterùm in omni eo genere ita nos gerimus, tum, ne quos tali honore dignemur, niſi vel ipſos litteris eruditos, vel, qui ab his proximi ſunt, cumque iis aliquando comparandi, admiratores ſtudiorum ſapientiæ, tum, vt res ipſis non ſolùm gratas, ſed etiam proprias tribuamus, ſiue, vt vulgo loquimur, dedicemus. Etſi enim, qui vim omnem doctrinæ mediocriter intelligit, non ita vno genere capitur, vt non æquè

æquè capiatur & cæteris, quod etiam esse ingenium philosophi contendit Plato: tamen cum plærumque alij delectentur alijs, ac propter vsum alia aliis magis conueniant, non parum aberraturus videatur, qui ad iurisconsultum disciplinas mathematicas, ad rerum naturalium indagatorem inuenta poetarum perferat. Non solùm enim ibi parum inibunt gratiæ, sed & ob eam imprudentiam reprehendentur à paullò peritioribus. Cum verò princeps Henrice Iuli, nulla sit pars studii sapientiæ, quam non attigeris, & in plærisque ita sis versatus, vt non solùm æques earum disciplinarum principes, sed de iis præclarè iudicium ferre poßis, quis doctißimorum hominum dubitet, quo te, si ita videatur, litterario munere afficiat? Qui enim omnes animi primarias dotes habet, vniuersas intelligit, ei omnia esse gratißima potißimum à bonis & præstantibus viris profecta, vt quodque meretur, necesse est. Nam quæ interdum titulo & pondere magna quidam malè feriati pro singularibus & diuinis venditant, ea & facilè agnoscuntur, & ridentur meritò: æquum est, vt mediocribus aliquis locus relinquatur, cuiusmodi mea esse existimo. Vt enim essent, in hoc curæ satis semper posui, idque me in plærisque assecutum spero. Namque & à falsis, & à friuolis abhorreo, & eorum, quæ per se eiusmodi apparent, relinquo, quæ speciem veri habent, refuto, & veritatem in rebus quæro, & vera, vbi opus est, confirmo, nec facilè, aut nouatoribus vlla in re assentior, aut à veterum auctoritate recedo. Quod ad orationis formam attinet, ea lectori satisfecero, si minus habeat sordium, & ad rei declarationem perspicuitatis satis. Nec sunt enim omnium, elegantia in dicendo, & copia, & splendor & magnificentia. Namque nec summi ingenii viros, qui eas virtutes affectarunt, omnia perfecisse vmquam

quam fuit creditum. Incubui etiam in alterum, vt cum vera & perspicua scriberem, tum neque vel publicè vel priuatim, noxia, nec in quemquam iniuria, nec cuiusquam mortalium famam lædentia, sed vtilia lectorū alicui: præcipuè autem spectaui salutem iuuentutis deditæ litteris, & quibusdam me profuisse arbitror. Vnde cuiusmodi sit omnis mearum scriptionum ratio facilè apparet. Cum enim animaduerterem, aberrare alios in doctrina, alios in ratione morum, nonnullos vtrobique; hoc egi vel solum, vel ante omnia, vt vtramque viam publicè quoque monstrarē sedulo. Nam si quæ sunt meæ laudationes aut cohortationes, aut si qua alia, relata omnia ad eundem finem volo. Quando verò rectæ viæ monstratori deuia quoq; indicanda sunt, mirum non est, eum malam ab iis inire gratiam, qui errare in perpetuū ipsi malint, & secum in errorē pertrahere plures, ne ipsi errasse vnquā videantur, siue errorē suum iam intelligunt, siue nec intelligere aliquando, nec ab iis intelligi, nolint. Talibus ego placere nunquam studui: quosdā placare, si qui emendari vellēt, sæpe fui conatus. Odia autē & contumelias pertinaciū mihi subeunda potius putaui, quàm deserendā salutem adolescentiū. Neque, cum hîc me semper rectè gesserim, quando hoc negotium nemo melioribus rationibus vel auctoribus aduersum me egit, iā senex muto factū: quem in extremo vitæ actu auerti ab hoc instituto terriculamētis sycophantiæ, ac ne quidē ipsa morte oporteat. Hæc apud sapientissimum principē confirmare mihi necesse nō est, qui rem ipse penitus intelligas, & huius instituti locuples testimoniū mihi non negaturus videaris. Recordari enim te scio, quæ ante annos plusquam viginti tecum cum de litteris, tum de officio principis familiariter, & sæpè, quasi aliud agens disseruerim: & quædam primæ ætati tuæ destinatæ lucubrationes in promptu sunt, fortasse

neque

neque tum discenti infructuosæ. In vna autẽ hac re potuisse me curiosiorem videri fateor, si curiositas est dicenda, ea homini impertiri, quæ cui dederis, ipsi in perpetuum saluti sint, aut esse possint, qui iis vti non recusent. Si quis tamen neque hac ratione ab illius vitij suspicione me satis vindicatum censeat, quemadmodũ & hic mihi cauerim audiat. Ad principũ enim filios scribere soleo, ab iis inuitatus, quorum maximè interest. Aliis me faciliorẽ præbui, quos boni viri mihi diligenter, vel verbo saltẽ commendassent. Neque non etiã me multis vltrò obtuli, idque rectè fieri, hinc colligere est, quòd viatorem solemus è deuiis vltrò reuocare in viam, à qua se ille aberrare non suspicetur: quod humanissimum factũ nemo reprehendat, & viator læto gratoque animo acceptet, nedum cum eo, à quo ab errore reuocatur, disputet: cuiusmodi sensibus diiudicantur. Quod in iis, quæ mentis iudiciũ postulant, longe aliter se habet. Neq; enim solùm, quorum mentes institutione deprauatæ sunt, sed etiam, quibus nulla prorsus educatio obtigit; & se non amentes esse, atque educationem omnem, omnes vitæ rationes, omnem denique remp., quæ ex doctiss. pauci admodum intelligunt, intelligere arbitrantur, & hoc sibi, (vsque adeò se plus quàm rationem amant) & imperitis, qui loquacitate impudentium quolibet trahuntur, facilè persuadent. Cùm autem aliàs de aliis atque aliis meo studio consignata vtilitati publicæ proposuerim; nunc visum mihi fuit edere, quæ aliquando in vestibulo polítices elucubratus fueram: nec ea tamen proferrem, nisi & vera esse, & iuuentuti, quæ se parat ad remp. profutura, iudicarem. Nec sanè dubito, quando nec nuper excogitata, quibus à vulgo plausus plærumque stultè datur, neque mea, qui supra ingenij vires mihi nihil arrogo, sed veterum, qui omnia diligentissimè inuesti-

garunt, & vera, quæ tot seculis conuelli non potuerint, aut certè eorum sententiis consentanea, amplector & trado familiaribus. Spero etiam adultiorum, nec expertium reipublicæ plærosque mihi assensuros, & adolescentibus auctores futuros, primaria via, quam ostendi, vel cæterarum aliqua, ad ciuilem disciplinam ingrediendi. Quod autem virtutem fundamentum facio, & principium politices, quodque politicum virum bonum, & primo omnium, & in perpetuum deinceps, esse iubeo; vt nec primus ipse inueni, sic paßim vrgeo, & subinde inculco, quod in animis non modo discentium, sed quocunque in loco gerentium remp. hærere, maximum operæ pretium est. Quis autem regum in quacunque opella nedum in administratione rerum, alios optet, quàm viros virtute & fide præstantes? quis eos non legit præ cæteris ad omnia? Ac sanè prius pariet locusta lucam bouem, vt Ennius scripsit, quam rem seriam minimam, nedum summam remp. rectè gerat, qui sine integritate & fide sit. Quanto sanctiores igitur præ cunctis mortalibus in omni vita & actione reges ipsos esse conuenit? tum quòd in summo rerum humanarum fastigio collocati sunt, tum quòd moderatore vniuersitatis gesti muneris rationes reddent: quod vos principes in memoria semper habetis, tyrannis in mentem numquam venit, aut, si quando, ipsos toto animo cohorrescere, necesse est: quô sunt etiam in ipsa purpura & maxima potentia miseriores: at reges principesque contra in perpetuis curis maximisque laboribus beati, quibus porro prima præmia à Deo decreta sunt, & hîc à populis persoluitur beneuolentia, & laudum vestrarum sempiterna prædicatio. Sed ad caput huius epistolæ redeo. Reddens enim tibi cum ea hunc librum, maximopere rogo, vt cum antehac minora, vel paria studia,

dia,

dia, clementer acceptaris, neque hoc contemnas, etiamsi ad vnguem facta non sint omnia: quod nec fortasse à me proficisci potuit: nec hoc loco aliud mihi propositum fuit, quàm quod inscriptio pollicetur: vt iter ciuilis vitæ ingredientes de iis monerem, quæ qui non didicisset, ad cæterorum intelligentiam, vel ægrè, vel infeliciter, perueniret: quod qui sibi non penitus persuasisset initio, nunquam bonus princeps, aut senator, ac ne quidem bonus ciuis, haberetur in republica. Alia præterea habebam in manibus, quæ ad educationem principis facere arbitrarer: quorum aliqua absolui. Nam & duas quæstiones, in vulgus satis controuersas, & vsu in plærisque regiis mirificè confirmatas, enodaui: quarum vna est de victu, altera de splendore reliquo. Nonnulla etiam in iis correxi: quæ de Cebetéa tabula, quam ad parietem suspenderat, pluribus diebus ex me quæsierat Serenißimæ coniugis tuæ frater, princeps Ioannes, Friderici II. regis Daniæ, filius, & ego responderam partim ex libello, qui in manibus est, partim quæ ad eum illustrandum facere mihi viderentur. Faciam, vt & hæc breui lucem videant, quæ quoque non profutura nullis iudico & auguror. Vale princeps inclute. Helmæstadio ex ac. Iulia Kal. Sept. CIↃ IↃC.

IOANNES CASELIVS LECTORI.

Nolim te ignorare, lector, hæc esse quasi quædam προλεγόμενα πολιτικῶν, non solum profutura iuuentuti, quæ se parat ad remp. quòd qui hæc non præcognouerint, de plærisque minus dextrè iudicaturi videantur: sed nonnullis etiam in rep. versantibus, quorum alij in instituto, quod rectum animo conceperint, confirmentur, alij, qui fortè aberrent, hinc errore suo intellecto, pedem in tempore referant, ne sibi priuatim infamiam, patriæ & ciuibus calamitatem seu malum aliquot creent. In hoc autem summo munere diu multumq; cum laude & vtilitate publica versatis hæc non scribimus; sed si ipsa legere dignentur, censores eos talium meditationum constituimus, quos rectißimè intelligere, quæ præclarißimè gerunt, credibile est. Confidimus tamen hæc qualiacunque non improbaturos, quæ ad verum scopum omnia dirigere conati fuimus. Vale.

IOAN.

IOAN. CASELII
ΠΡΟΠΟΛΙΤΙΚΟΣ.

CAP. I.

De quibus hoc libro agendum sit.

QVemadmodum graue aliquod negotium, vel etiam mediocre aggressuri, initio vtilia multa, & necessaria omnia, quæ possunt, vident, quibus instructi ordine & bono euentu agant, quod in animo habebant: ita qui quamcunque liberalium disciplinarum explicandam suscipiunt, ea non solum præfari solent, quibus auditores alliciant aut inflamment, sed & multa prẹmittunt, tum vt ad rem commodius veniant, & progrediantur facilius, tum vt illi quasi via præmonstrata minus aberrent, &ad metam procurrant felicius. Interpretes enim multa statim in principio remouebunt, quæ rudibus adhuc animis, vel obscura admodum, vel supra modum difficilia, vel prorsus absurda viderentur. Et nos verò etiam hoc consilio vtemur: & quoniam disciplinam ciuilem, quæ politice appellatur, docere instituimus, capita quædam perpauca, nec nisi quæ pernecessaria arbitremur, proponemus initio: neque nulla interim alia, quæ huc facere arbitremur, tangemus obiter, cætera suo loco explicaturi. Agemus autem hîc potissimum de

 capiti-

capitibus quatuor. Ante omnia igitur, cum politicum informaturi videamur, oſtendemus, quot quibusque modis paſſim politici nomen vſurpetur: & quis ſit reuera politicus, adeoque hoc tam auguſto ſiue potius diuino nomine dignus iudicari poſſe videatur. Mirum enim, quàm hæc appellatio multis & variis olim tributa fuerit, atq; etiam hodie tribuatur. Sequitur, ſiue cum hoc ipſo cohæret, vt accuratè delineemus, quæ ſit politice, cuius videlicet dignitatem & finem ignorari non oporteat: etiamſi omnem eius vim in hoc diſciplinæ veſtibulo non ita plenè explicabimus, quæ etiam vel ante oculos poſita, à nouitio & adoleſcente non ita ſubito percipitur. Tempore enim hæc intelliguntur ab ijs, qui ſe vindicarint à turbulentis animi motibus, & animum ad actiones honeſtas ſatis conformarint, & vitam humanam ſedulo introſpexerint, & negotia ipſa quaſi manibus tractarint. Neque hoc negligemus, de quo priſcis quoque ſeculis dubitatum fuiſſe video, & hodie conſtare paucis arbitror. Si enim, de quo quæremus, id faciendum ſibi perſuaderent, in re omnium nobiliſſima & prima operam vltrò ponerent, aut ponere iuberentur. Eſt autem hoc ipſum: pararíne politice aliqua ratione poſſit, & quidem ſtudio induſtriaq; noſtra. Quod ſi enim non niſi diuina, vt aiunt, virgula, ſiue caſu aliquo obueniat paucis, vel diſcendo comparari nullo modo queat, rectius & nos relinquamus negotium, vt regnum Perſicum, cuius adipiſcendi vni Cyro olim facultas fuit, neque cuiquam laboris, quem fruſtra ſuſcipi

ſuſpice-

ſuſpicemur, auctores ſimus. Denique ſi qua ſpes affulgeat adipiſcendæ politicę, neutiquam omittendum videbitur, quod à nobis omnes poſtulent: qua via, aut ſi plures ſe aperiant, quibus ad politicen viis, veluti ad metam, vel ad locum, quô proficiſci conſtituerimus, & nos aliquando perueniamus.

Cap. II.

Politicum non eſſe quisquis politus eſt.

DE his igitur agemus ordine, & primùm de primo, paullo altius exorſi. Cum logicus nominatur, vel orator, ab alio alium intelligi, ſæpenumero animaduertimus. Sunt enim, qui cum de logico audiunt, dialecticum ſuſpicentur: vulgus etiam de contentioſo ſophiſta accipiat, qui tamen dialectici partes tueri non poſſit, nedum logici. Nos autem non fugit, vt logicus acutior & nobilior multo ſit dialectico, vt qui diſſerendi munere & ipſe quidem egregie fungi valeat, ſed etiam demonſtratione diſcentem conuincat conſtrictumque teneat, ſi id rei natura ſinat, de qua tum fortè agitur. Sic imperitus aliquem de media plebe loquaculum, qui tacere neſciat, minus fortè quàm ad colum anicula, oratorẽ cenſeat: in quo tamen nihil ſani ſit, ſiue ſenſa animi inſpicias, ſiue verborum congeriem: nec non vero etiam rerum non nullo vſu præditis imponet interdum ſycophanta: cum nugatore illo nihil ſit indoctius, nihil leuius, ſycophanta nihil aſtutius, nihil nocentius: quin fieri poteſt, vt hunc aliquando in mediis oratoribus reperias:

quod

quod hi tamen illi largiendum non putent, qui aut ipsi boni viri sint, aut eos esse se profiteantur. Sic igitur etiam ferè in omnium ore est nomen viri politici: cum tamen alii aliud intelligant & significatum velint: ac ferè ita quisq;, vt plus minusve de re ipsa intelligit. Nec vero cuiusque est vnumquodque rectè intelligere, etsi hoc demum intelligere est: sed non nisi à puero de plærisque rebus fideliter eruditi, etiamsi idem subtili rerum cognitione non sit præditus. Hic vero eruditus, si quid non satis ipse statim videt, tamen dispicit sedulo, vt ne in eo genere decipiatur, veri inuestigandi rationis haud ignarus. Primùm igitur ad quorum aures vix fama rei, nomen verò hoc, neque quidquam ferè amplius permanauit, latissima significatione politicum nominant, in quo plus aliquantulum sit salis, quàm in aliquo de ipso vulgo: qui aliorum moribus facilè cedat, siue se accommodet: qui habeat, in communi hominum consuetudine, quod dicat, quod respondeat. In eum fortè conueniat illud, quod seruulus, ni fallor, ad seruulum dicit apud comicum: *At ego primò te disertum credidi.* Hic politici nihil habeat, aut si quid, non nisi minimam eius similitudinem vel speciem: id quod infra magis apparebit. Quî enim sit politicus, vel adolescens, vel rerum imperitus, adeoque vix aliquo tinctus colore prudentiæ? videntur tamen nonnullis, quòd qui verè is sit, humanitatem & comitatem ipse quoque præ se fert in omnibus, & præstat vtplurimum: quod consilium & orationem in promptu habet, in quoscunq; ille homines,

mines,

mines, in quæcunque negotia incidat. Verum hic leuiter admodum adumbratus politicus, in ſenatum non veniet: ſin auſit; ſtatim ſe dabit turpiter, quando ad primam grauem deliberationem obmuteſcet. Hic ipſe tamen, niſi ſe curiosè aliis rebus ingerat, politus nobis ſit, vtpote vitæ cultui non ineptus: nec eos iniuria laude ſua afficiemus. Quin expediat iuuentuti, ſimul & morum probitati ſtudere & vitæ elegantiæ: quarum hæc abſque illa nullum diem conſiſtere poſſe videatur. Nec eius ſtudii exigua præmia propoſita in communi vita hominum exiſtimemus. Morum namque venuſtate non ſolùm fauor populi, ſed & regum beneuolentia facilè conciliatur. Non tantum enim virtus, qua tamen nihil illuſtrius, in vniuerſa vita mortalium, ſed etiam virtutis aliqua ſpecies ſiue imago, nulli affinis enormi vitio, animos hominum & mirificè afficit, & magnopere ſibi deuincit. Quare & benè merentur de rep. qui teneræ ętatis mores eleganter formant, inq; eorum animis, quaſi quædam prima virtutis ſemina iaciunt: & laudabiliter ipſi faciunt, qui mores ſuos à pueris diligẽter expoliunt, atq; animum ad veriorem virtutem præparant, ſiue etiam eam comparant. Vt enim de inſulſis ingeniis nihil admodum, ita de elegantibus plurimum ſanè nobis pollicemur: atq; eam ſpem ipſa induſtria confirmat, ſine qua magni aliquid nulla in re efficitur. Res autem ipſa facilis eſt, & iucunda ſemper initio: corroborata ætate, & neglecta, ſanè quàm difficilis: & vt innui modo, ad virtutem aditus: quando non minus probitati

ſtudetur, quàm elegantiæ: nec à falsò initia eximiarum virtutum dixerimus, cum interdum etiam earumdem teſtimonia & argumenta ſint.

CAP. III.

Multo minus hominem curioſum & loquacem.

SAtis de hoc genere: tranſeamus ad alios. Multis enim etiam politici videntur alii, nihilo ſane illis meliores, ſed audaciores multo, quod in illis pudor, nec paullo nequiores. Temerè enim ſibi, fortè ingenio freti, ſed parum ad veritatem facto formatove ad virtutem, de omnibus rebus in ciuitate ſibi iudicium ſumunt: de legibus, de magiſtratibus, de ſacris, de prophanis, de pace, de bello, de ciuium vita, moribus, negotiis: & confidenter quodcunque & quantumcunq;, & quouis in loco, & apud quoſcunque, reprehendunt, & cenſoria virgula notare non dubitant: niſi fortè aſtutè alia diſſimulent, quod in eiuſmodi moribus difficile tamen eſſe ipſum arbitrer. Hoc autem cauſſæ eſt, quòd imperitis, aut non ſatis peritis, & omni ferè populo multum videre, & præ cæteris ſapere, ac honore deniq;, & tantum non primo ciuitatis gradu, digni exiſtimantur. Quos tamen ſi propius contemplemur, curioſi potius ſunt, quod vitium magnum ſimilium gregem ducit ſecum, & loquaces, & maleuoli, & maledici, & ſcurræ denique, ſycophantis & ſeditioſis, peſſimis mortalium proximi, quorum ingenium à vetere poëta in Trinumo ſic depingitur:

Nihil eſt profecto ſtultius, neq; ſtolidius,

Neq;

Neq; mendaciloquius, neque argutum magis,
Neq; confidentiloquius, neque periurius,
Quàm vrbani aßidui ciues, quos ſcurras vocant:
Atque egomet me adeo cum illis ibidem vnà traho,
Qui illorum verbis falſis acceptor fui:
Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt:
Quod quisque in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt,
Idq; quod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt, quod Iuno fabulata eſt cum Ioue:
Quæ neq; futura, neque facta ſunt, tamen ii ſciunt:
Falſóne an verò laudent, culpent quem velint,
Non floccifaciunt, dum illud, quod lubeat, ſciant.

Hæc apud Plautum non inſcitè ille Megaronides, quibus id genus hominum de ſtatu deiicit, vt meritum ipſorum eſt. Contra vero animo affectus eſt reuera politicus. Namque & loquacitatem faſtidit omnem, & à curioſitate prorſus abhorret: multo magis autem à tætrioribus vitiis pectus expurgat: non ſolum exiſtimationis ſuæ obſtinatè ſtudioſus, ſed vir bonus, & quantum omni conatu aſſequi poteſt, quadratus ſine reprehenſione vel ad amuſſum, vt cum Simonide (1) loquar. Idem de vnoquoque rectè poteſt exiſtimare, & rectè exiſtimat, ſine maleuolentia, & maledicentia, omni in vniuerſum inuidia vacans: quod non ſolum tanti viri officium, ſed boni viri inferioris etiam loci eſt. Eundem potius

(1) *Plato in Protagora.* Λέγει γάρ που Σιμωνίδης πρὸς Σκόπαν τὸν Κρέοντος ὑὸν, τοῦ Θετταλοῦ, ὅτι ἄνδρα ἀγαθὸν μὲν ἀληθέως γενέσθαι χαλεπὸν, χερσί τε, καὶ ποσὶ, καὶ νόῳ τετράγωνον ἄνευ ψόγου τετυγμένον.

cum

cum Menelao (2) compararim: quem fuiſſe non multorum verborum, effatum pauca, ſed diſertè omnimodo, à poëta accepimus: niſi fortè orationis Vliſſeæ flumine opus ſit, & fulminibus verborum ad populum. Verum ſuo loco oſtendemus, dicendi vim maximè ſeruire ciuili diſciplinæ, & eſſe politici velut inſtrumentum adprimè neceſſarium.

(2) *Homerus* Λ. Δ. Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

CAP. IV.

Nec verſutum & callidum.

DIximus de duplici genere, quos populus ſiue vulgus ipſum pro tantis viris ſuſpiciat, & ſtultè colat: ingenio mediocri & vſu aliquo rerum præditi, vel per ſe, vel verbo moniti, ſecus omnino ſentiant. Meminerint enim, de magnis rebus haud eſſe iudicandum, non calculis, nedum ſtrepitu multitudinis, vt eſt in Græco tragici verſu. Cæterum propius accedunt ad politicos, qui vbi res magnæ & plenæ periculi tractantur, ſibi cauent, & tempori pulcrè ſeruiunt. Hoc autem & ſapientes præcipiunt: flare aduerſus ventos vetant: polypi ingenium obtinere iubent: id vt interdum rectè fit & cum prudentia, ita non raro improbè & cum aſtutia. Quid ni vero, ſi ex imminenti periculo elabi nequeas, an reluctèris, ac non potius neceſſitati cedas? ita tamen, nihil vt deſignes contra dignitatem & boni viri officium. Nam ſi ſcelus aliquod cum conditione lucri aut ſalutis perpetrandum ſit, aut aliquid

liquid coniunctum cum ipsa turpitudine committendum; quoduis potius ac vel vitæ discrimen adeas, vel mortem obeas. Neque enim tum imitari polypum bono viro sit integrum. Sed huius loci illustrandi gratia exempla duo subiiciam, ex poëta vnum, ex historia alterum. Vlysses enim & Theramenes hoc nomine nobilitati sunt: illum poëta & varij ingenij & multiplicis consilij (3) & facit & nominat: quòd sibi in tot tantisq; periculis omni vita facilè caueret, consilio sæuitiam crudelium, quorumq; hostium insidias auerteret, cæterorum etiam beneuolentiam sibi moribus compararet. Hic in regia Alcinoi apud Phæaces; non solum cedit omnibus, sed & luxum non vituperat, & eiusmodi iucundam & optabilem vitæ rationem laudibus in cœlum effert. *Nihil iucundius est*, inquit, *mea quidem sententia, quàm si lætitia perfruatur vniuersus populus: & conuiuæ per ædes collocati ordine, diuinum eiusmodi citharœdum audiant: vbi mensæ pane carnibusque onustæ sint, & puer haustum è crateribus vinum infundat cyathis: hoc equidem*, inquit, *existimarim longè esse pulcherrimum.* Sed potius viri mollem & blanditiis conditam orationem audiamus.

> Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
> Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
> Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ,
> Ἥμενοι ἑξείης· παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
> Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
> Οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν·

(3) Δ. ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, & passim πολύμητις Ὀδυσσεύς.

Τοῦτο τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Grata erat hæc narratio,in alta pace,& omniũ rerũ copia,luxui deditis: nec tamẽ ita ſentiebat, aut talem vitam ſectabatur Vlyſſes,qui perpetuũ certamen gereret cum rebus aduerſis, & ſemper vltro laborẽ ſubire, & pericula adire conſueſſet. Quid autẽ ſuo incommodo, vel malo, nec fortè abſque vitæ periculo,cum hoſpitibus contenderet,in quorum poteſtate eſſet, & quidẽ iis, apud quos ſe nihil profecturum prȩuideret?Fruſtra enim eſt, qui carpit aliorum à pueritia imbibitos mores, & ptidem inueteratam conſuetudinem vituperat:ac prȩterquàm quòd operam ludit inſenſum ſibi facit,quo beneuolo vti poterat. Nequevero non etiam honeſtè laudatur aliquando conuiuium, etſi ne ciuilis quidem beatitudinis cardo in eiuſmodi vita vertitur.Idem cũ incidiſſet in Cyclopis manus; ibi tum & ſe & ſociorum aliquos ex immanis belluæ faucibus eripuit, & ipſum peſſima quæq; meritũ graui malo affecit, eiuſque ſæuitiam grauiter vltus fuit. Nec attinet cætera notiſſima depromere,de Lotophagis, de Circe, de Sirenibus, de Scylla & Charybdi: in quibus omnibus, quàm eſſet præſenti animo & vario bonoque conſilio declarauit, vt omnibus deinceps ſæculis incomparabile exemplum patientiæ & prudentię reliquerit.Theramenes vero etiam,vt vafer&verſipellis,& in comœdia,& in vulgus exagitatus, & cothurnus eo nomine dictus fuit, quòd cum de triginta tyrannis eſſet, ſe tamen poſtea ad populum conuerteret. In eum in Ranis acerbè inuehitur Ariſtophanes.

Ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι
Νοῦν ἔχοντος καὶ φρένας, καὶ
Πολλὰ περιπεπλευκότος,
Μετακυλινδεῖν αὑτὸν ἀεὶ
Πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον
Μᾶλλον, ἢ γεγραμμένην
εἰκόν' ἑστάναι, λαβόνθ' ἓν
σχῆμα· τὸ δὲ μεταστρέφεσθαι
Πρὸς τὸ μαλθακώτερον,
δεξιοῦ πρὸς ἀνδρὸς, καὶ φύσει Θηραμένους.

Sapientis eſt, inquit, & eius, qui multa paſſim maria nauigauit, ſe ipſum potius ad parietem feliciorem conuertere, quàm ſtare, vt pictam imaginem eadem ſpecie: verum ſe flectere ad mollius, dextri viri eſt, & præditi ingenio Theramenis. Ita loquitur, ac ſi Theramenes vario ingenio prorſus fuerit, & ſubinde animum mutarit, & ſe pro re nata ſemper applicauerit felicioribus. In eadem comœdia de eodem inquit:

--- Σοφός γ' ἀνὴρ καὶ δεινὸς εἰς τὰ πάντα, Ὃς ἢν κακοῖσι περιπέσῃ, καὶ πλησίον παραστῇ, Πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν.

Theramenes, inquit, ſapiens vir eſt, & plurimum pollet in omnibus: qui vt in calamitates incidat, & propè aſtet, mira ſe arte ex iis facile expedit. Nec tamen vir malus fuit Theramenes, vt hiſtoria docet: qui triginta tyrannis, cum ciues ſuos crudeliter trucidarent, in quorum bona inuolarent, fortiter reſtiterit, etiam cum vitæ periculo: denique à nefario Critia accuſatus, hauſta cicuta fortiter quoq; vitam finierit, cum facto & verbo memorabili: Hoc propino pulcro Critiæ. Fuit in vtroque prudentia, qua ſe in patriam, ſuos,

quamdiu ipſi auſcultarunt,ſeruauit Vlyſſes: Theramenes non potuit, non quòd ipſe minus videret, quid faceret: ſed tanti erant fluctus in rep. Athenienſium, vt boni obruerentur iniuriis improborum, etſi improbi tandem & tyranni ipſi quoq; ſcelerum & crudelitatis graues pœnas dederunt. Qui vero ita ſe accòmmodant aliis, vt quæuis ferant & faciant; in iis, ſi quid tamen ſit ingenij, non exiſtimetur prudentia, ſed verſutia, quæ ſine virtute vtilitatem ſpectat. Omnibus ſunt comes & blandi, amici nemini: ſæpe hoſtes capitales, quibus fidem ſacramento obſtrinxerint: cui omnia pollicentur, ei præſtant minimum, niſi fortè ſibi magis commodent: boni apparent foris, nec tamen quidquam iis intus eſt nequius. Quod genus homines, vt vt videantur & habeantur à plurimis, minimè ſunt politici: nec vero illi, non reprehendendi, vt de quibus paullo ante diximus. Boni enim viri, qui ſibi cauent, & ſuis rebus conſulunt, etiam laudem propterea ſuam merentur, priuatæ videlicet prudẽtiæ. Qui vero etiam publica negotia in manibus habent, & cum ſua tum aliorum, tum publica aſtutè tractant, quando nec officium boni viri faciunt, nec publicum bonum pro fine ſolo ſiue ſummo habent, etſi vulgo nominantur politici, & hoc nomine gaudent maximè, tamen eos ipſos eſſe, nec verum eſt, nec peruerſo ipſorum „vitæ inſtituto conſentaneum. Politicus enim „vir bonus eſt, & prudens, & ciuitatis res gerit, in „hoc totus, vt benè mereatur de patria & de ciui„bus, priuati quoque emolumenti in publici boni pro-

procuratione negligens: immo, qui ſalutem pu-" blicam vita cariorem non habeat, ad dignitatem" & nomen politici fruſtra adſpiret. "

Cap. V.

An orator & politicus vnus & idem ſit.

ACcedo ad alios, iiſque, de quibus verba facimus, non paullò digniores. Peruetus eſt, & à longiſſima hominum memoria ad nos permanauit, præſtantes eloquentia politicos nominare. Sic & Græci plerique & Romani cum loquebantur, tum ſentiebant, etiã alij præter vulgus: & ipſi oratores ſe pro principibus reip. & primis ſenatoribus venditabant: ipſe etiam Tullius non raro primas tenere prædicat in rep. imperatoriam & eloquentiam, ita vt eloquentiam non pro nuda arte ſeu facultate dicendi accipiat, ſed pro politice, quæ rebus humanis ab omni parte conſulit, vſa miniſterio orationis. Græci autem oratores, pænè quotquot erant, qui priuatorum cauſſas aliqua cum laude agerent, ſe ciuitatis primarios perhiberi volebant: & à populo honore afficiebantur principibus ciuitatis vereq; politicis debito. Hoc factum oſtendit etiam Ariſtoteles, & fontem huius erroris aperit, & diſcrimẽ eloquentiæ & politicæ ſimul indicat. Sic enim primo libro de arte dicendi: (4) *Quoniam ad artem*

(4) *Philoſophi verba hæc ſunt.* ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν, οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν· διὸ καὶ ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς ἡ ῥητορική. καὶ οἱ ἀντιποιούμενοι ταύτης, τὰ μὲν δι'

 dicendi

dicendi requiritur conficiendorum argumentorum ratio, & aliqua doctrina de moribus & virtute; itaque fit, vt ipsa dicendi ars sit, quasi stolo quidam artis differendi, & tractationis de moribus, quæ merito appellatur politice. Quare etiam ars dicendi habitum ciuilis facultatis induit, &, qui eum sibi vendicant, partim ob inscitiam, partim ob inanem gloriam, partim ob alias humanas caussas. Hæc philosophus ille, nec idem tamen magistris dicendi, in ea arte docenda illustrandaq; inferior: qui ingenij acumine simillima & discreuerit semper ipse, & nos discernere docuerit. Oratorum enim alij se pro politicis gerunt, qui eiusmodi se esse somniant, nec intelligunt, quàm longè absint à regina omnium cæterarum artium: alij etsi non ignorant, se multo esse humiliores, tamen, vt sint honoratiores, pro politicis se habent: alios aliæ caussæ mouent, quæ solent impellere homines, multæ & variæ: vt si hoc sit quæstuosius, aut ad quæcunq; negotia accommodatius. Hinc autem imperitum vulgus neq; nulli præterea alij, habent, oratores pro politicis, quod ars dicendi multa habet precario à politice: accedit non minor caussa, quòd politicus, vt diximus, facultate dicendi vtitur, vt instrumento. Differentia amborum in promptu est. Ars enim dicendi pauca habet præ cæteris è ciuili scientia. Primum ea, quæ sunt de moribus mortalium, & aliqua de virtutibus & vitiis, pauca de statibus rerump., & ea non nisi popularia. Politice integra est disciplina, com-

ἀπαιδευσίαν· τὰ δ᾽, δι᾽ ἀλαζονείαν· τὰ δ᾽, καὶ δι᾽ ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς.

pre-

prehendens vniuerſam de moribus doctrinam, & docens de omnibus ciuitatum ſtatibus, & tradens deniq; eorum inſtituendorum recteq; tractandorum rationem. Itaq; orator fortè ſit politicus aliquis: vel adumbratus, velut in regijs caſtris inter veteranos tiro. At politicus, ſit aut facilè euadat orator, quando iam in animo habet, quod eius facultatis potiſſimum eſt, quaſique animam orationis pridem poſſidet. Pericles & politicus eſt & orator: nec tamen, quia orator, politicus: igitur orator facilè euaſit, cum abundaret ingenio, & artem prȩterea accepiſſet à magiſtris dicendi, & ſe in dicendo exercuiſſet. Periclis pauci ſimiles, qui propter ſummam eloquentiam tonare & fulminare dictus fuit, & ipſius labris inſidere Pitho. (5) Contra orator alius, qui ſe fortè cum laude oſtentaret, & rectè cauſſam in iudicio ageret, totus exaruerit, ſi ad dicendum accerſatur in prima quadam deliberatione de republica, atque eo loco vel non appareat, vel plus verborum, quàm conſilij adferat.

(5) *Hæc à Diodoro Siculo libro. XII. & ab alijs citantur de Pericle ex Eupolide.*

Περικλέης οὐλύμπιος
Ἤστραπτ' ἐβρόντα, συνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.
Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν,
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Pericles Olympius fulgurabat, tonabat, miſcebat Græciam: Suada quædam inſidebat viri labris: ita demulcebat, & ſolus inter oratores aculeum relinquebat in auditoribus.

CAP. VI.

An Politicus idem qui IC.tus

VT autem prisco illo sęculo caussę erant, quas attulimus, vt oratores politici esse crederentur, quę etiam hodie quos moueant, vt disertos, & interdum etiam loquaces, pro principibus ciuitatis habeant: ita nostra ætate, vt aliquot sæculis superioribus, non leuiores sunt, vt iurisconsultus & politicus idē esse videatur: immo vt vulgo idem orator & politicus & iurisconsultus habeatur. Quia enim iurisconsultus hodie in Germania potissimum, non solum in foro occupatur, sed etiam tum in senatu locum habet, tum præcipuis legationibus idem fungitur; hinc fieri intelligimus, vt primum locum teneant in republica, & omnē politici dignitatem è disciplina legū adepti existimētur. Nec ratione caret, quod & legationes obeunt, & deliberationibus, quæ sunt de sum̄a reip. adhibentur. Primùm enim tot sæculis ita omnia legibus in orbe Christiano passim constituta, & munita sunt, vt deliberare de primis negotiis posse nō videatur, nisi earū quoque opibus instructissimus, quòd consiliū capere nullū vlla in re oporteat neque publica neq; priuata, nisi scripto iuri consentaneū, quod nisi legibus eruditi, videre alii nō possunt: accedit, quod commentarii iurisconsultorū referti sunt politicis disceptationibus, etsi nec ordine, nec omnem tamen disciplinam ciuilē tradunt, neq; pollicentur. Nec vtuntur vero reges & resp. iurisconsultorum opera in rebus quibuslibet sine discrimine, quod eos siue ratio, siue vsus rerum docuit. Nos autem & personas & res discernimus, vt &

quid à quoque exſpectandum ſit, maturè diſcamus, & quid quiſque de ſe aliis qua de cauſſa polliceatur, meminerit. Hoc enim qui non animaduerterit, æquè ſe ipsũ atque alios fefellerit. Quod ſi quis in eorum vno aliquo præſtet, hunc ego magnum diuinumq; bonum adeptum iudicabo: feliciorem etiam, ſi reliqua non prorſus leuiter attigerit. Neque tamen fieri poſſe negauerim, vt in his tribus, magno aliquis ingenio præditus, euadat mediocris, cuius magnus etiam vſus ſit, non in foro ſolum, ſed etiam in curia, ſiue res nudè explicanda ſit, ſiue copiosè perorandum. Sic „ autem ſtatuamus, vt inſtrumentorum quodque, „ vni certæ rei deſtinatum, & ipſum perfectius eſt, „ & perfectius efficit, quod volumus, quàm ſi il- „ lud idem aliis atque aliis vſibus accommodetur, „ ita quemque noſtrum, qui vni negotio vel arti „ totus incumbat, officium ſuum & rectius facere „ & felicius. Hoc etiam nomine naturæ opulen- „ tiam & ſagacitatem prædicat philoſophus. (6) „ Nec enim ipſa facit, quaſi cultrum Delphicum, „ cuius vſum non minus in menſa fuiſſe, quàm in „ cædendis victimis ſuſpicari licet, neceſſitatem e- „ iuſmodi imponente pauperculis penuria, vt quó „

(6) *Locus eſt* πολ. A. Οὐθὲν γὰρ ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον, οἷον χαλκοτύποι τὴν Δελφικὴν μάχαιραν πενιχρῶς, ἀλλ' ἓν πρὸς ἕν. οὕτω γὰρ ἂν ἀποτελοῖτο κάλλιστα τῶν ὀργάνων ἕκαστον, μὴ πολλοῖς ἔργοις, ἀλλ' ἑνὶ δουλεῦον. *Natura enim nihil eiuſmodi facit, quemadmodum fabri ærarii cultrum Delphicum, aptè ad vſus pauperum, ſed vnum vni. Sic enim optime perficiatur vnumquodq; inſtrumentum, ſi non pluribus, ſed vni tantum ſeruiat.*

„interdiu vtantur pallio, idem noctu habeant pro „ſtragulo: ſed vnumquodq; vni præcipuo fini de- „ſtinat vt plurimum. Interdum enim etiam admirabili artificio æquè pluribus accommodat. Cum idem illud in ſua republica (7) Plato probaret, iuſſit quemque opificum non niſi vni arti ſeſe dedere. Duo enim, inquit, vitæ inſtituta, aut duas artes exquiſitè elaborare, ei rei vix humanum ingenium par ſit: ac ne quidem ita vni quis ipſe ſatis vacare valeat, vt ſimul alteri aliam exercenti præſit. Sed ad inſtitutum redeo: eſt igitur iuriſconſulti, qui in hoc vno totus ſemper ſit, reuera per ſe quoque eximia dignitas: quod rectè, & ni fallor, proximè ex ipſis legibus probatur, quas illi ſemper in animo & manibus habent: quando in iis ſine dubitatione ſalus eſt reipublicæ. Nec tamen priſcis ſæculis tanta erat, vt habetur hodie. Hoc enim agebat ſolum, vt æquum ab iniquo, iuſtum ab iniuſto diſcerneret, de iure interrogantibus reſponderet: nec alius eius campus erat, quàm in foro: nec ſanè propriè iuriſconſultorum campus alius eſt. Nec illi cauſſas agebant, ſed interdum oratorem, qui cauſſam diceret, erudiebant, niſi ipſe ius didiciſſet: quod inter principes ciuitatis nemo ferè negligebat: nec in ſenatum veniebant, vt iuriſconſulti. Sed hunc ipſum locum bene muniendum, & ſingulari diligentia enodandum intelligo, ne quis faſtidio nouæ, vt fortè arbitretur, ſen-

(7) *Octauo de legibus.* Δύο δὲ ἐπιτηδεύματα ἢ δύο τέχνας ἀκριβῶς διαπονεῖσθαι, σχεδὸν οὐδεμία φύσις ἱκανὴ τῶν ἀνθρωπίνων· οὐδ' αὖ τὴν μὲν αὐτὸς ἱκανῶς ἀσκεῖν, τὴν δὲ ἄλλον ἀσκοῦντα ἐπιτροπεύειν.

ten-

tentiæ, non lecta abiiciat, non conſiderata condemnet. Memini enim & me & alios, qui hæc vtilitatis publicæ gratia explicarent, non ſolum reprehenſos, ſed calumniis etiam grauatos. Exſtitere enim, qui dignitatem diſciplinæ iuris hac oratione minui, aut ordini ampliſſimo partum longo tempore, perpetuo labore, decus inuideri, aut iuuentutis ſtudia quodam modo turbari ſiue retardari dicerent. At vero nos ab hoc illuſtri ſtudio & reip. omnibusque imperiis ſummè neceſſario, neminem verbo auertimus: ad quod tamen, ſicut neq; ad vllam ingenuarum artium, compellendum non arbitremur, qui ad eius cultum nec ingenio, nec moribus, ſed ad quæuis alia potius, factus videatur. Quem enim natura neglexerit, nec patriæ, nec ciuibus, vlli vſui, ac fortè etiam grauis futurus ſit: nec ſibi ſuísve honori inani quadam doctrinæ ſpecie: qui tamen ſæpè eo ingenio ſunt, vt ſe ſapere maximè exiſtiment, minimum videre cæteros. Dixi omnino neceſſarium, tum publici boni gratia, tum ob neceſſitudines priuatorum: non autem, quod quæſtuoſum ſuis cultoribus, aut certus ad faſtigium honoris gradus. Neuter enim horum finium propoſitus nobis eſſe debet, etſi vulgò aures iuuentutis vltrò feriunt: quæ mala in animis, vt in fundis lolium & ſteriles auenæ, vltro paſſim proueniunt. Neq; tamen non æquum eſt, vt qui ciuibus opitulatur, qui patriæ ſeruit, præmiis cumuletur: atq; hoc magis, quô promptius hoc & libentius faciat. Nec ea ſpes fallit, quotquot de mortalibus benè mereri non deſinunt. Nam ſi cæteris fortunæ bonis excidunt, quæ tamen ipſa

ratione & parantur, & custodiuntur, & beneuolentiam bonorum & gloriam sempiternam consequuntur. Nosse vero hoc discrimen, primum ad eruditionem pertinet: siquidem inscitia est, similia siue cognata non discernere, & similia pro iisdem, & alia pro aliis accipere. Sed maxima ad ipsos legum studiosos, qui dignitatem non solum iurisconsulti, sed etiam personam, quam sibi, siue ipsimet sument, siue ab aliis impositum iri intelligunt, tueri in animo habeant, redit ex nostra commonefactione vtilitas. Absurdum autem profecto sit, non modo iniustum, si quis rectè monenti & benè consulenti succenseat: vt semetipsum animo crucians senex in comœdia, qui vicini sermonem ferre non poterat, & curiositatem interpretabatur, quod alter humanitate & beneuolentia monebat: neque hac in re faciat, nisi qui aut ipse iam de se desperet, quod ea plærique in quibus ipsi nihil aut parum valent, in vilibus habere prę se ferunt, aut iuuentuti inuideat, quod profecto nefas sit, aut de salute ciuitatis serio non cogitet. „Si quis æqualium „vel amicorum te lauta in re videat, & agros rectè „colere & studere rei pecuariæ, esse autem negli„gentiorem in aliis, è quibus æquè rem facias, & „doceat, quemadmodum in apricis collibus vi„neam plantes, in hortis apum examina foueas: „an tu huic homini irascaris, ac non potius eius „doctrinæ aures præbeas, nec tantum ei auscultes, „sed etiam gratias agas, nec non de aliqua refe„renda aliquando tibi videndum putes? Sapias, si „rem familiarem ab omni parte constituendam censeas.

censeas. Quis igitur me reprehendat, qui partes mihi erudiendæ iuuentutis sumpserim, quod licere homini docto arbitror, quamquam etiam datæ sint, si bonæ indolis adolescentes, accessuros aliquando ad remp. cohorter sedulo, nec obtestari desinam, primùm vt linguam expoliant, quòd quotidie sermonis vsus in omni parte vitæ mortalium, & cum primis in grauissimis deliberationibus: deinde idq; multo magis, vt pectus à vitiis expurgent, ornent vitam probitate morum & elegantia: denique cognoscant, & quodammodo discant, siue præmeditentur, quibus modis mereri de patria possint, ante quàm id arduum & plenum aleæ opus aggrediantur. Cum enim ius dicere non possit, nec cuiquam licere debeat, nisi qui id sedulo & rectè didicerit, an non existimabimus, nec eum remp. rectè posse gerere, qui hoc non didicerit in hominum muneribus omnium maximum? Ad hoc regium " munus qui imparatus, & illotis, quod aiunt, ma- " nibus accedat, is & se & remp. in periculum " quod in ipso est, coniicit: & longè grauius pec- " cat, quàm qui, vt dicitur, figulinam discit in do- " lio, eique rectè occinitur, in Care periculum, non " in libero homine, nedum in rep. esse faciendum. " Artes autem dicendi & disserendi initio discendas, & exercendas, minus dubitatur: egoque iuuentutem hortor, vt hæc studia tam necessaria ne prorsus negligant: nec falso existiment, alterius disciplinæ omnem cursum ita impediri aut retardari: omnino operæ pretium fecerint, si quod tempus otio, somno, vino, perit, tribuant

studiis

ſtudiis humanioribus. Litterarum enim non rudes, ſiue haud vulgariter iis exculti, propius accedent, & ad humanitatem & ad dicendi facultatem, & ad politicen, & adminicula habebunt neceſſaria ad quamcunq; ſe præterea diſciplinam conuertant.

CAP. VII.

Quis reuera & propriè ſit politicus.

TEmpus eſt, vt poſtquam oſtendimus, quibus hoc illuſtre politici nomen aut prorſus non debeatur, aut minus propriè tribuatur, ad hunc ciuitatis principem, cuius aliquam delineationem initio promiſimus, aliquãdo propius accedamus, petito ex iis principio, quæ præmiſimus: quod ſanè nobis percommodum accidit. Nec enim vllus eſt in illis, quos diximus, vel à plærisque vel ab aliquibus appellari & haberi politicos, quin habeat nonnihil politici. Ad ea igitur vbi reſpexerimus, alia ſubiiciemus grauiora, quibus tantum virum perfici exiſtimemus, vt præter nomen res etiam appareat, & ſolida illius forma eniteſcat. Primùm enim nec inſulſus ipſe, nec agreſtis, nec moroſus eſſe velit, nec debeat, nec pertinax, contentioſus, aut vllo modo aſper: ſed diſertus, commodis moribus, politus vndique, humanitate præditus, officii plenus. Qui eiuſmodi futurus ſit, an non eum ſtatim ab initio ad humanitatem, & ad vitæ conſuetudinem diligenter informari oporteat? Animaduertet idem quoque, quæ in vita hominum perperam gerantur, ſine curioſitate tamen, ſed vt

in ſua

in ſua ciuitate corrigat, ſi qua poſſit, aut diſpiciat quę cuiq; malo medicina rectè fiat, qua deinceps vtatur, ſi opus ſit, & poſſit. Nec vel in homines contumelioſè, vel in tempore cum querela inuehetur: quorum hoc muliebris animi, illud malitioſi eſt. Hinc quoque licet exiſtimare, cum tanto iudicio maturè præditum ex re ſit, nec in perpetua ſolitudine educari oportere regum filios, nec cæteros acceſſuros ad rempublicam. Porro, quod cum iis congruit, quæ primò attigimus, altercari nolit, nec niſi vel maximè opus ſit, vel omnino videatur ex vſu, aduerſabitur aliis, ſed cum oratione tum reipſa cedet: ſi maioribus, laudis nihil merebitur: parum, ſi paribus: ſed eam maiorem pæneq; ſolidam, ſi minoribus. Qui ſic ſe gerat aduerſus omnes, eum magnifacient vniuerſi, nonnulli reuerebuntur. Diximus iam, non eſſe minimam partem priuatæ prudentiæ, accommodare ſe rectè & ciuium & hoſpitum moribus: quem locum fuſius tractari oportere cenſeam, niſi verear, ne ab inſtituto longius abeã. A priuatis enim rebus hęc ratio quoque ad publicas tranſit. Princeps enim reip. nihil quidem contra dignitatem faciet ſtatuétve, vel ſuam, vel patriæ, ſed idem ſaluti publicæ, neque non ſuæ, quoad per illam liceat, conſulet. Sunt autem, quæ, ſi vrgeas, non te ſolum, ſed patriam quoque in ſummum diſcrimen coniicias, vnde emergi poſteà non poſſit. Interdum igitur ſi plenam ſalutem tueri non valeas, exitium & ſeruitutem (hæc enim alterum, & fortè interitu ipſo grauius exitium eſt, ſi ipſam audias ſapien-
tiam

tiam) auertisse, nec imprudentis, nec ignaui gubernatoris existimabimus. Etenim & gubernator, qui nauem, quam regere summa tranquillitate parui negotii fuerit, tempestuoso mari è mediis fluctibus, saluam cum saluis omnibus in portum, quem petebant, deduxerit, omnes officii sui partes egregie summáque cum laude expleuerit: nec minus tamen etiam, qui suam rebus aduersis omnibus vel semifractam saluis nauigantibus, etiam in mare proiectis mercibus, è rebus desperatis in quamcunque stationem, vbi se vitam seruasse intelligant, appulerit. De hoc genere prudentiæ ciuilis sic scripsit Tullius ad Lentulum. *Nunquam,* inquit, *præstantibus in rep. gubernanda viris laudata est in vna sententia perpetua permansio: sed vt in nauigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas: cum vero id possis, mutata velificatione, assequi, stultum est, eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius, quàm, eo commutato, quo velis, tamen peruenire: sic, cum omnibus nobis in administranda rep. propositum esse debeat, id quod à me sæpissimè dictum est, cum dignitate otium; non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus.* Nec qui ita se in reip. periculis gerit, in crimen inconstantiæ
» incurrit, vt rectum incedere non neges, qui in
» lubrico inclinet in latus dextrum, ne in sinistrum corruat. Quid enim constantius, quàm salutem ciuitatis sartam tectam tueri, quoad per fluctus liceat, aut, si illud fata non sinant, à patria imminens exitium, magno animo, consilii opibus, auertere? Redeo ad id, quod non abs re iterandum puto sæpius: qui in hoc genere mediocris,

nec

nec prorſus eſſe nullus velit, oportere eum ingenio multis mortalibus præſtare: diligenter inſtitui & aſſiduè exerceri in omni genere liberalis doctrinæ: nec ſtatim trahi aut deduci ad negotia, quæ ſpectare nihilominus & cognoſcere poteſt ab adoleſcentia. Primo enim ætatis vere prudentia non matureſcit: quæ multis quidem rebus comparatur, ſed non niſi vſu corroboratur: at hic non eſt, niſi ab annis: quos adoleſcens pauciores numeret, quàm vixerit. Quæ eſt enim vita hominis in infantia, qui puer vix incipiat viuere? Series noſtra monet, vt de oratione iterum dicamus. Vt autem elin-„ guem ſapientem facile contemnamus, qui cum „ cæteris mortalibus de ſuis bonis nihil commu-„ nicaturus videatur, ſic gubernatorem ciuita-„ tis infantem eſſe, aut dicendo parum valere non „ oporteat, cui quotidiè, ſiue in concione, ſiue „ inter paucos, de maximis rebus verba facienda „ ſint. Quod ſi ille non ſemper fundat exuberans illud orationis flumen, vt Vlyſſes Homericus; certè animi ſui ſententiam diſertè paucis exponere, neceſſe habet. Nec verò poſſit in vniuerſum carere hoc cum omnis ſocietatis humanæ, tum huius eximiæ & perfectæ, quæ ciuitas appellatur, inſtrumento: quod cum de omni ciuitate verum eſt, tum de populari ſtatu maximè. Subito enim abſque oratore concidat. Populus enim, cum quid in quaque re verum, quid rectũ iuſtúmue, quid vtile ſit, quid fieri poſſit, quid non poſſit, in plæriſque, neque per ſe, neque etiam monitus facilè videat; docendus quotidie

de multis eſt: cumq́; idem difficulter dimoueatur à falſis viſis, quaſiq́; quibuſdam vigilantium ſomniis, non ſolum oratione luculenta & ſuaui, ſed graui quoq; & acri conſtringendus, vt ſaluus ſit, vel de quibus agitur negotiis, ea ſalua ſint. Itaque huius primæ ſummæq́; diſciplinæ cultorem in campis eloquentiæ diu tenendum, multumq́; exercendum eſſe, rectè, opinor, monuimus. Nec eidem iuris inſcitiam affingimus, ſed non vulgarem ſcientiam tribuimus: immò neceſſitatem cognoſcendarum legum imponimus: etſi in iis aliter alioq́; fine verſatur iuriſconſultus. Hic fori terminis propriè circũſcribitur: ille de ſumma rep. & omnibus eius partibus agit: in quo munere cauebit, ne conſilii auctor ſit, quod offendat in leges patriæ, cum hoc pacto non leuiter lædatur ipſa: neque contra legem primam verbum faciet, quam nos naturæ nominamus, per omnem æthera & immenſam lucem, expanſam ait Empedocles. Hæc autem ipſa lex, ſiue hæ leges naturæ, (namque & ſic rectè loquemur, cum numero multæ ſint, nec minus tamen vnius appellatione indicentur) non plebem ſolum, aut populum, ſed etiam, ſi quis plurium regnorum & orbis terræ plurium partium princeps atque dominus ſit, obligant. Sanxit enim omnes vniuerſi conditor, & tulit omnibus, quas impunè nemo mortalium violauerit. Nouerit idem, quarum interpretatio deſideretur: nec non quæ, quibus de cauſſis, quibus modis, quo tempore abrogari poſſint. Cum autem leges orator diſcat, an nõ magis earum cognitione po-

litico

litico opus esse, dixerimus? Nisi enim didicerit & meminerit, aut sæpe in dando consilio alucinabitur, aut inter deliberandum subsistet, & sententiam aliorum potius audiet, quàm exponet suam. Igitur quicunque politices cultor, suæ ciuitatis ius nullo modo negliget, ne quid vnquã aduersus statum patriæ consulat, quod imprudentiæ sit & imperitiæ. Imperitus enim sit, qui scientiam faciat. Vergit enim hoc ad præsentis status labefactationem, & leui momento turbet salutem publicam.

Cap. VIII.

Ante omnia Politicum debere esse virum eximiè bonum.

QVæ hucusque in medium attulimus, plæraque in politico requiri omnes sentire arbitror: quæ si vnus idemq; complexus omnia fuerit, multis quidẽ ille eximiis dotibus politici ornatus erit, nec omnem tamen eius dignitatẽ adeptus fuerit, & tueri poterit. Eorum enim omniũ, quę neutiquam negligenda, sed omni diligentia comparanda diximus, nihil ab omni parte sincerum & solidum est, suspecta ferè singula. Primùm enim, neq; omnis morum elegantia fuco vacat, cum sub suauitate & blanditiis eiusmodi sæpè insidiæ delitescant. Nec nihil nobis ab eloquentia metuamus, si memoria repetamus, quas mortalium pessimi vi orationis seditiones in vrbibus excitarint, quas ciuitates funditus euerterint. Imperiti autem in rebus gerendis exercitatos, nec non paullo eruditiores, etiam pro vafris

& fraudulentis habent, & eorum fide & beneuolentia niti recuſant. A quo non niſi bonum exſpectes, aut qui nihil aliud præſtet; perfectum, vt ita loquar, hominem eſſe oportet, qui nemini illis rebus fraudi eſſe velit, qui pectus ab omni labe expurgatum habeat, qui non quibuſdam adumbratis & commentitiis, ſed ſolidis & regiis virtutibus ornatus ſit. Hoc principium eſt, hoc fundamentum, hæc anima, hæc forma, vt cum doctis loquar, politici, quod ex animo nunquam dimittendum cenſeo, & iterandum propterea ſæpius. Nihil enim magis refert: quod, qui præcepta ciuilia tradunt, ſi leuiter attingunt, & frigidè perſequuntur, non adeo multum lectori proſunt, ſin prętereant, etſi diuinitus perſequantur cætera, fraudibus ingenioſos erudire, & vafricie informare potius, quàm futurum politicum, dixerim. Vt autem in excolendis hortis, ita ſi in cultura animi nos geramus, non nihil ſpero, proficiemus in mediocribus ingeniis: in paucis diuinis, plurimum. Nam quos Minerua non reſpexit, in iis omnis opera luditur. Videndum igitur ſtatim initio, vt ex animi fundo, quaſi quædam herbæ noxiæ & ſpinæ omnes, ſi fieri poſſit, magna diligentia auerruncentur: primùm, vt affectuum, quos vocamus, alii domentur, & ſub iugum rationis mittantur, alii eradicentur ſtirpitus: deinde, vt quę peccata ab hominum, peruolgatis quidem, ſed falſis tamen, opinionibus, pullulant ex non probè cultis animis tollantur, cum ipſis opinionum peſtibus. In quos namque hæc ſoboles dominium excerceat, ab

iis

iis magnæ res nec geri, nec cogitari poſſunt, animo videlicet occupato, quibus ne tentari quidem debuit, & diſtracto, ad quæ reſpicere itidem minimè. Graues omninò animorum morbi ſunt, & ſi diu foueantur, incurabiles, & lethales, & rei quoq; publicæ ſæpe damnoſi, ſpes inanes, metus abſque cauſſa, exultans lætitia, dolor immodicus, iracundia, voluptatis ſtudium, libido, inuidia, odium, maleuolentia, malitia, maledicentia, auaritia, ambitio, dominandi impotentia, & mala his ſimilia, quæ non diſpicias facilè, nedum recenſeas. Grauiores autem ſunt opiniones, quæ illa partim generant, partim educant. Ex peruerſis enim opinionibus proueniunt peruerſa & perplexa conſilia, facta item improba & nefaria. Sunt autem illæ de rebus, quæ ſenſus primum mouent, à ſenſibus in animum præcipitant: de forma, de viribus, de voluptate, de diuitiis, de genere, de potentia, de otio, de bello, de vindicta, de victoria, de vita, de morte, deq; eiuſmodi aliis omnibus. Videre autem veras ſententias & falſas opiniones, noſſe itē, quam illæ pulcræ ſint & amabiles, hæ quàm fœdæ & deteſtabiles, denique illas amplecti, has auerſari toto animo, non paruum eſſe operæ pretium exiſtimabimus. Nec enim ſatis eſt, falſas opiniones à veris ſententiis diſcernere, nec illas leuiter improbare, has vtcumque probare, ſatis eſt: vnicuilibet bono viro, ac præcipuè huic principi ciuitatis, hoc perſuaſiſſimū eſſe oportet, vt ſapientiæ decretis, quæ ſola ſunt veræ illæ ſententiæ, in omni deliberatione & actione conſtanter aſſentiatur:

tiatur: ſed ſpecioſis vulgi præceptis, quæ omnes ſunt illæ falſæ opiniones, loci nihil relinquat: nec plurium, quamuis illuſtrium virorum de populi cenſura, exemplis moueatur: immò his beatitudinem, ita vulgo habitam, non inuideat, illa malo auctore ſuſcepta, ex non bono principio orta, nec ad optimum finem tendentia, & deteſtetur ipſe in perpetuum, & deteſtabilia faciat, quos ipſe caros habeat, omnibus. Hoc pacto heroicam indolem ad accipienda maximarum virtutum ſemina ſubigi, neceſſarium arbitror: niſi quis amplius iudicet, illo modo ipſam ſationem fieri; quod videtur etiam. Hac namque ratione ſiue diſciplina educatus & eruditus, nec dedet ſe voluptatibus corporis, quæ omnem ſeriam cogitationem, omnes honeſtas actiones excludunt ab animo; nec animum facilè abiiciet, quo quæ homni obueniunt, veluti clypeo, accipienda ſunt: nec quidquam agendum ſuſcipiet temerè, qui ſe ad rectam rationem componere ſemper ſtudeat: nemini denique iniuriam faciet, qui nihil inæquabile velit, neque quidquam concupiſcat, quin expetere liceat, & adipiſci poſſit, vt liceat. Sic generatur, & perficitur, & conſeruatur omnis virtus, qua præditum eſſe quemq; decet, & præſtare in ciuitate politicum volumus. Sit temperans, vt libertatis auctor aliis, ipſe à ſeruitute, tum iræ, tum libidinis, tum quorumq; affectuum liber, imperet. Sit fortis in perpetiendis aduerſis, in adeundis ſuperandiſque laboribus, in propulſandis hoſtibus & à ſe & à ceruicibus ſuorum. Sit iuſtus, vt iniuriam,

nec

nec cuiquã ipſe faciat, nec vlli ab aliis fieri ſinat: ac contrà, dies noctesq; relictis omnibus cogitet, quomodo benè de patria & de ciuibus mereatur. Sed eidem prudentia præſto ſit, dux & magiſtra omnium rectarum actionum & conſiliorum ſalutarium. Hic oculus eſt, qui ad ſcopum rectè collineat: hoc gubernaculum ciuilis nauis. Verum nec breuis eſt doctrina de prudentia, nec cuiuis obuia, vt neque de cæteris virtutibus: quæ explicantur omnes ſuo loco. Hîc primò agimus, vt doceamus, quod lectori perſuaſum eſſe volumus, politicum eſſe oportere virum bonum & prudentem: nec tamen cum ita loquor, prudentiam à virtute ſeparo: quin ſententiæ quorundam veterum facile ſubſcripſerim, qui cunctas cohærere inter ſe nexu inſeparabili contendebant: nec fieri poſſe, vt vna poſita non poſitæ ſint & cæteræ. Id alii ſubtilioribus argumentis confirment: ſtatim autem, verum eſſe, apparet, ſiue iuſtitiam conſideremus, ſiue prudentiam. Nam prudentia cum moderetur omnibus, omnes inter ſe continet: & iuſtitia, quæ omnium officia erga omnes ſpectat, earum à ſe miſſam nullam fecerit. Neque vero nõ etiam vir bonus prudentia præditus cenſetur ea, quæ omnes officij partes dirigit: etiamſi eam conſilij copiam non habeat, qua principium reip. abundare par eſt. In hoc enim nihil mediocre, ſed omnia eximia eſſe oportet: eximiè ſit prudens, tum in priuatis, tum publicis negotiis: nec id in vno ſolum, ſed in omni genere eorum, quæ iuſta, iniuſtaque ſunt, quæ proſunt, quæ nocent: ſit in vniuerſum

eximiè vir bonus, nec de officio ſolum ſollicitus, ſed anxius: omni contentione, de ciuibus, de bonis potiſſimum, de vniuerſa patria, bene mereatur, hoc ſi alicubi neglectum ſuſpicetur, (quis enim mortalium videt omnia? quis præſtat omnia?) ita animo doleat, vt nulla de re alia: ex labore, quem ſubit, & periculo, quod adit, lætitiam primam capiat, ſtudio benè merendi poſtponat omnia, voluptatem, diuitias, honores: denique vitam vilem habeat præ ſalute publica. In vitiis facile apparet, tum corporis, tum animi, alia eſſe minora, quæ diſſimulari poſſint, alia grauiora, quæ deteſtentur omnes. Ita gradus ponamus in virtutibus: eſt fortè vir probus aliquis, qui honeſtè vitam inſtituat, facto verbóue lædat neminem: in alio viro bono eſt omnis virtus illuſtrior, aut vna earum præ cæteris elucet: qui ſi reuera ſe gerit politicum, ſuperat omnes alios, virtute cumulatus, conſilij diues, inflammatus officio & meritis, vt diximus: atque ita ferè politici prima lineamenta duximus.

CAP. IX.

Quomodo Perſæ olim reges ſuos in ſtudijs Politicis educarint, ex Platone.

SVnt autem hæc cum iis conſentanea, quæ paſſim traduntur, tum ab aliis ſapientiſſimis viris, tum à Platone, & alibi, & in lib. de rep. & à Xenophonte, præcipuè in Cyri pædia. Sed ne quis calumnietur aut nobis obiiciat, Platonem finxiſſe ciuitatem, cuiuſmodi nec vlla extiterit, nec vlla futura ſit: Xenophontem verò formam per-

perfecti imperii præſcripſiſſe potius, quàm ſcripſiſſe hiſtoriam. Nam ex vtroque cuiq; ſumere, quæ velit, & vti, quibus commodo ſuo poſſit, licet. Sunt eadem cum aliis conſentanea, quæ ſiue ita obſeruata ſunt, ſiue inſtituta priſco ſæculo. Prorſus enim ad hunc modum regem ſuum ([8]) Perſæ educabant: pænè dum impuberi præficiebant quatuor è Perſis delectos viros, conſtantis ætatis, ne quid in educatione regis, rerum omnium maxima, facilitate vel imperitia iuuentæ aberraretur, aut deſidia ſenectæ omitteretur: vnum ſapientiſſimum, ſecundum iuſtiſſimum, tertium temperantiſſimum, quartum fortiſſimum: qui regem maturè, & antè quàm ad clauum regni ſederet (nihil enim periculoſius animaduerterant potentia, nec temperata, nec refrenata ratione) ſapientia, iuſtitia, temperantia, fortitudine, imbuerent & perficerent, ſi fieri poſſet: ſic beatum ipſum, ſic ſemetipſos, ſic regnum floriturum exiſtimabant: ſecus quamprimùm fieret, completum iri omnia Atis & calamita-

([8]) *Plato, Alcibiade primo.* εἰσὶ δὲ ἐξειλεγμένοι Περσῶν οἱ ἄριστοι δόξαντες ἐν ἡλικίᾳ τέσσαρες· ὅ, τε σοφώτατος, καὶ ὁ δικαιότατος, καὶ ὁ σωφρονέστατος, καὶ ὁ ἀνδρειότατος, ὧν ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου τοῦ Ωρομάζου, (ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία) διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικά· ὁ δὲ δικαιότατος ἀληθεύειν διὰ παντὸς τοῦ βίου· ὁ δὲ σωφρονέστατος, μηδ᾽ ὑπὸ μιᾶς ἄρχεσθαι τῶν ἡδονῶν· (ἵνα ἐλεύθερος εἶναι ἐθίζηται, καὶ ὄντως βασιλεύς, ἄρχων πρῶτα τῶν ἐν αὑτῷ, ἀλλὰ μὴ δουλεύων) ὁ δὲ ἀνδρειότατος ἄφοβον καὶ ἀδεᾶ παρασκευάζων, ἅ, τε δὴ, ὅταν δείσῃ, δοῦλον ὄντα.

tibus. Illos autem magiſtros tales eſſe oportere ſentiebant, qualem quiſq; facere diſciplinæ ſuæ alumnum conaretur. Hoc enim non ſolum monendo & docendo, ſed multo magis exemplis fieri animaduerterant. Cuiuſque munus cuiuſque nomen indicat: in cultu primùm numinis (Perſæ magiam Zoroaſtri, Horomazi filii, dicebant) adoleſcentem regem erudiebat ſapientiſſimus, nec non in cæteris inſtitutis conſiliiſque regiis. Iuſtiſſimus docebat omnia, quæ ad iuſtitiam, legumque obſeruantiam pertinebant, & hoc cum primis, mendacium deteſtari & ſimulationem, ſed in omni re veritatem, verbis, vultu, factis, colere, eamque ſemper præ ſe ferre, cuius acre & perpetuum ſtudium fuiſſe in Achille (9) ipſius vox indicat:

Odi, inquit, *hominem varium, tætri velut oſtia Ditis,*
Ore aliud quisquis promit, quàm pectore condat.

Temperantiſſimus docebat, nec cuiuſquam affectuum, nec vllius voluptatum imperio ſubiici. Sic enim qui reuera liber eſſet, nec vllis voluptatibus ſeruiret, ſuos quoque populos iugo ſeruitutis non premeret. Maximè enim libertatem aliis inuident, qui duriſſimam ſeruitutem ſeruiunt. Fortiſſimus, alumni pectus ad-

(9) *Obuii ſunt & noti verſus* Λ. Ι. Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν, Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ. *E plurimis, quæ ſunt paßim apud ſcriptores pro veritate in mendacium, libet vnicum dictum, è Pindaro adſcribere ex hymno ad Hieronem:* ἀψευδεῖ δὲ, *inquit,* πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν: *ad veritatis incudem linguam fabrica.*

uerſus

uerſus pericula & quæcunque mala muniebat. Qui enim trepidaret, & iam mancipium foret, nec minus ſe, quàm ſuos in ſeruitutem hoſtibus dederet. Hoc igitur Perſis propoſitum fuit in regia diſciplina, quod & rectum eſſe, & fieri poſſe, iudicarent: etſi ad regiæ virtutis faſtigium ex omnibus vix vnus & alter adſcenderit.

Cap. X.

Quomodo Politicum deſcribat Thucydides, Socrates item apud Xenoph.

PRoferam nunc ex Thucydide, quod auditorem nouiſſe iuuet. Etenim apud hunc veteris Græcæ hiſtoriæ patrem alterũ, reip. Athenienſis bello Peloponneſiaco princeps, ad populũ, quòd euentus conſilio & exſpectationi non reſponderat, ſibi ſuccenſentem, magnificè de ſe prædicat, vt forte ipſum res facere cogebat, & ad iratos quoque teſtes in cauſſa bona prouocare non dubitat: (10) *Ego vos*, inquit, *infeſtos habeo, qui ſum is*

(10) *Plæraſque Thucydidis orationes Ioannes Caſa præ aliis bene latinè reddidit, cuius interpretationẽ propterea retinendam putaui. Verba hiſtorici ſunt hæc:* Καίτοι ἐμοὶ τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργίζεσθε, ὃς οὐδενὸς ἥττων οἴομαι εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα· φιλόπολίς τε, καὶ χρημάτων κρείσσων. ὅ, τε γὰρ γνοὺς καὶ μὴ σαφῶς διδάξας, ἐν ἴσῳ εἰ καὶ μὴ ἐνεθυμήθη· ὅ, τ᾽ ἔχων ἀμφότερα, τῇ δὲ πόλει δύσνους, οὐκ ἂν ὁμοίως τι οἰκείως φράζοι· προσόντος δὲ καὶ τοῦδε, χρήμασι δὲ νικωμένου τὰ ξύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν πωλοῖτο. *Requirit in fideli conſiliario, ſiue politico, ſummam prudentiam, eloquentiam, amorem patriæ, & integritatem.*

maxi-

maximè, qui & rectè sentire, & id, quod sentiam, commodè nihilo, quàm alii, minus, eloqui poßim: idemque patriæ amans: idem incorruptus integerque sim. Namque cogitare si quis potest, sed, oratione, quod vult, planè explicare nequit, perinde est, quasi nihil ei in mentem venerit: qui vero vtrumque præstiterit; is, si infensus ciuitati sit, haudquaquam eodem modo amicè quidquam dixerit: quod si adsit id quoque, pecuniæ autem non resistatur, profecto vniuersa illa hanc vnam ob rem venalia sint. In his Pericleæ orationis verbis, virtutes politici, easque ipsas esse, quas requiri ostendimus, videre est. Si quæ enim non disertè nominantur, ea videntur è cæteris non incommodè intelligi. Vt enim de temperantia dicam; ea non præteritur nominata prudentia, cui maximè cognata est: atque ea de caussa Græci homines temperantiam tali nomine appellant, quo prudentiæ custos esse indicatur, quod & philosophus monet, vbi de prudentia disserit. Ipsa autem prudentia deprehenditur è consilii copia: cui virtuti, siue consilii explicationi, potissimum seruit eloquentia. Iustitia & fortitudo ex vtroque elucescunt, & quod caritati patriæ postponit omnia, & quòd se ab auro inuictum præstat. Fortis enim ille etiam profecto est, qui molestias, labores, & pericula pro patria subit vltrò & gratis: ad quem modum parentes liberis omnia cura magna inueniunt, & benignè suppeditant. Iustus, qui se debere omnia patriæ profitetur, eiusque necessitati nullo loco deest, nec contagio popularis perpetui morbi animo inficitur. Ea enim est auaritia. Qui autem ab eo malo, cui maxime multitudo mortalium tanto-

tantopere ſtudet, vt multi id ponant in ſummo bono, pauci admodum *in vitiis* numerent: cui & ſapientem interdum illaqueari *canit* (11) Pindarus abhorreat; eum aliorum grauium & publicè noxiorum criminum ſuſpicione non abſque ratione facilè liberabimus: quod cum trium capitalium primum ſit, tum adhæret plærumque cæteris, grauiſſimo tamen maximè, ambitioni dico, & libidini imperandi. Et hæc igitur, & quę nos ante tradidimus, inter ſe conſentiunt. Cæterum hoc politici nomen, hoc eſt auctoris legitimorum cætuum & conſeruatoris ſocietatis hominum ne quidem rex aſpernabitur: qui quid hic boni, quantáque dignitas ſit, intelligat. Eſt enim huius ordinis ille ſummus, qui, quæ non tam ſibi, (etſi ipſe maximè maximis bonis perfruitur) quàm populis ſuis ex vſu eſſe viderit, conſtituat, refragante nemine, quemadmodum neque patres liberos conſulant, quæ in re familiari iubeant, cuius ſit prima & ſumma vnius auctoritas in ciuitate, quæ maieſtas nominatur. Regem innui animaduerteritis, ſiue principem, vt poſt remp. Romanam hoc nomen vſurpari cæpit: vnde ipſa politice eſt regia diſciplina, vt dicetur poſtea. Neq; igitur ſine cauſſa regum conſiliarii, politici ſunt, quos olim, florentibus paſſim in Europa, plurimis rebusp. Perſæ oculos regum, alij regum amicos nominabant. Sic & ſenatores in ciuitatibus, & ſi quos in conſilium adhi-

(11) Πυθίων Γ. Ἀλλὰ κέρδει καὶ σοφία δέδεται: *etſi reuera non ſolum apud ſapientes, ſed etiam apud viros bonos, lucro ſe mancipare, amentia eſt.*

bent.

bent. Nam & in his & illis regium aliquid esse par est: vt aliquid Dei in ipsis regibus. Quid enim à multis iam sæculis peruulgatius, quid rectius, quàm regi tribuere nomen gubernatoris omnium? Cura enim & meritis rex quilibet Deum repræsentat, vt qui sibi parentibus populis pro Deo esse debeat, vt sospitator perpetuus, nec aliud nisi beneuolentiam populorum & sempiternam gloriam lucrifaciens: neq; non tamen maximi in terris agonum conditor, neque comparandi cum Olympico, amplissima iis præmia persoluet, qui spatium præclarè decurrerint. Sed quid de viro bono dicemus, qui sordes è pectore eluerit, qui virtute pręstet & prudentia, qui rerum humanarum rationes perspexerit, qui ciuitatum omnium morbos & medicinam calleat, & priuatam ipse tamen vitam colat? Hic politicus audire non desiderabit. Nec enim iactator aut ambitiosus est, nec in negotiis malit esse, quàm in otio. Erit tamen ille, aut ab eo non longè aberit: nec denegabit operam suam patriæ, cui se natum nouerit, & prodesse volet. Quòd si poscatur ad remp. sedulo suum munus obibit, cumque bono publico, nec multò post præclarè cum aliis, vbi maior rerum vsus accesserit. Habebitur igitur ille à nobis: quando auriga est, & qui currum suum regit, & alienum regit, & qui quemcunque regat: item gubernator, & qui suam & qui alienam nauem gubernat, & qui quamuis aliam curæ fideique suæ creditam gubernet. Accedit hûc Socrates, quem multa quidem cum ratione, non tamen absque hæsitatione sen-

ne ſententiam ſuam exponentem inducit Xenophon: ([12]) *Aiebat enim non eos eſſe reges, nec magiſtratus, qui ſceptra gererent, nec, qui eſſent à quibusque deſignati, neque qui ſorte ducti, neque qui dominatum vi inuaſiſſent, neq; qui occupaſſent dolo, ſed, qui ſcirent præeſſe reipublicæ. Vbi enim quis conceſſerat, magiſtratus ſiue rebus præfecti eſſe, imperare, quid facto opus ſit, ſubiectorum parêre; ille oſtendebat, primum in naui, gubernare eam, qui nouiſſet, adeoque ipſum nauis dominum, & quotquot ea præterea veherentur, ei dicto obedientes eſſe: ſic in agricultura, qui agros poſsiderent: & in morbo, qui decumberent: & in exercitatione corporis, qui corpus exercerent: & reliquos omnes, quibus foret aliquid quod procuratione egeat, ſi ſe ſcire arbitrentur, id procurare: ſin minus, non ſolum magiſtris parêre præſentibus, ſed etiam abſentes accerſere, quibus ipſi obtemperantes officium faciant: & in lanificio oſtendebat, mulieres maribus præeſſe, quod hæ artem texendi nouerint, illi minimè nouerint.* Hæc ille: cæterùm nos, quid quiſq; iuris habeat nõ diſputamus, nec ius quod cui certũ eſt, in dubium vocamus: hoc agimus, vt rex omnem regiam diſciplinam, quiſque magiſtratus rationes ſui officii teneat, & re ipſa ſint politici, rex cum potentia, cæteri legitimè ſuo loco. De quo præterea quæſiuimus, non minus verum eſt, quàm aſſeuerare difficilius, niſi fortè, exemplis ſummæ di-

([12]) *Locus eſt* ἀπομνημονευμάτων Γ. βασιλεῖς τε καὶ ἄρχοντας, οὐ τοὺς τὰ σκῆπτρα ἔχοντας ἔφη εἶναι, οὐδὲ τοὺς ὑπὸ τῶν τυχόντων αἱρεθέντας, οὐδὲ τοὺς κλήρῳ λαχόντας, οὐδὲ τοὺς βιασαμένους, οὐδὲ τοὺς ἐξαπατήσαντας, ἀλλὰ τοὺς ἐπισταμένους ἄρχειν. *Hoc caput eſt præcepti illius: cætera ex indicato loco petat lector.*

ſcipli-

ſciplinarum aliquando editis, denuo quieuerit. Sic enim ad dubitandum nihil cauſſæ, vel parum relictum fuerit.

CAP. XI.

Quid ſit Politice, & primò, eſſe eam ſtudium ſummæ virtutis ac perfecti officii.

VT politici guſtum aliquem daremus, non vt hic omne eius munus exponeremus, inſtitutum nobis fuit. Neq; tamen non ipſa politice quid polliceatur, inde quodammodo colligi poteſt, quando coniugatorum, vt vocantur, ea natura eſt, vt vno eorum explicato, cætera quoque maximam partem eluceſcant: vt ſi temperantem, vel fortem, vel iuſtum intelligamus; nec temperantiæ, nec fortitudinis, nec iuſtitiæ vim prorſus ignorabimus. Nec putauimus verò incommodum, nec alienum, vt poſtquam aliquid de politico diximus, pauca etiam de politice dicamus. Sequimur autem non nouam rationem, vt eo, quod facilius perceptu viſum fuerit, explicato, tranſeatur ad alterum, in quo plus operæ foret ponendum. Fieri enim poteſt, vt, in quo etiam laborabimus, propoſitæ diſciplinæ dignitas clarius innoteſcat, nec ſolum in maiore precio ſit, ſed quod plus referre arbitrer, magis colatur, & , quod plurimum, etiam rectius. An non igitur ſtatuemus eſſe diſciplinam politicam ſtudium ſummæ virtutis, ſiue perfecti officii? Abſque hoc enim ſtudio, qui vel ſolus, vel cum paucis, vel cum pluribus ſit, miſerè ſane viuat, ſeſe primum ipſe deſerens, & nimis pro-

procul à fonte & principio beatę vitę ciuilis aberrans. Qui se primùm ab animi turbulentis motibus, & omni genere vitiorum vindicet: ô rem arduam, & haud scio, an non omnium maximam, sed ipsi, si quid esse, aut quid in nobis hominis esse, volumus, necessariam, nec desperatam omnino, vt quidam arbitrantur, si rectè instituatur, si in tempore, id est, à puero, nec ita plenam laborum & molestiarum, nec verioris voluptatis sensu vacuam, siquidem iucundum putabimus, eo liberari, quod pessimum sit, & adipisci contra, quod non inani specie nos fallat, sed reuera optimum sapientes iudicent, ac non solum satis boni negare non ausint, sed ne quidem non pessimi: qui assiduè officium colat, quomodo totus virtuti incumbas; is, & solus, & cum paucis, & cum multis, &, si fieri possit, cum omnibus, (quid enim feros & barbaros in nostro genere censeamus, cum præter figuram hominis nihil præ se ferant?) nec iniquo animo, nec iniucundè, ac denique benè beateque, pro captu hominum viuet: sic vt aduersa & incommoda, vel amoliatur, vel toleret, vel superet, bona labore & ratione inueniat, rectè vtatur fruaturque partis, cumq; aliis, vt consilia beneficè, ita & hæc non sordidè, sed cum suis potissimum, communicet. Namque res ipsa flagitat, vt boni viri sint, qui vnâ societatem colere, & vel eandem domum incolere, si plures capiat, vel eundem pagum, & eandem vrbem velint. Vt enim mali cum malis viuant, quorum nemo ipse queat secum? Conscceleratorum enim quisque se fugit, &

pro merito ſuo ſe excruciat, nedum ipſis inter ſe vlla in re ſincere punctum temporis conueniat. Nec bonis & malis ſit tuta ſocietas: hos quidem illi meliores fruſtra & fieri optant, & facere laborent, hi illos perditos velint, perdantq; quod in ipſis eſt. Quid igitur magis ordine fiat? quid rectius, quàm vt & ipſi ciues ſemper ſint in officio, & omni optima ratione ad virtutem informentur ciuium filij? quantò magis verò (dicam enim iterum, quod antè fuit dictum aliquoties, & dicetur in hac tractatione ſæpius, nec debet cui faſtidium parere, nec poteſt, niſi cui moleſtiam virtus adferat, & publicum bonum odio ſit) qui certò onus adminiſtrationis rerum aliquando in ſe ſibi cum hæreditate debitum, ſuſcipiet, aut de capeſſenda rep. apud ſe aliquid conſtituit, huius primæ diſciplinæ eget? cum præſertim his curæ eſſe debeat, vt ciuitas ciueſq; cumulentur omni genere bonorum.

CAP. XII.

Vnde Ariſtot. primam eius partem faciat Politicen de moribus.

HOc igitur eſt verum politices principium: neque hac parte ſpreta aut omiſſa eam aliunde ordiri oporteat: nec poteſt tam illuſtre ędificium niſi in tam valido fundamento conſiſtere. Idem docet philoſophus eo loco, quem ſupra vſurpauimus, cum ait, *iuſtum eſſe, hanc tractationem, de moribus, appellari politicen*. Quid enim aptius, quid magis neceſſarium bonis moribus? Hoc eſt parêre legibus, hoc eſt honeſtè viuere, hoc eſt nemi-

minem lædere, hoc eſt ſuum cuique tribuere: hæ ſunt laudabiles actiones, hæ ſunt toties decantatæ virtutes: quarum vtraſque ex vtriſq; generari, proditum & verum eſt. Namq; vt crebro canens fidibus citharista fiet, & qui citharista ſit, optimè canet fidibus, ſic qui moderabitur, quæ ita vulgo habentur ſolæ, voluptatibus, euadet temperans, & qui ſit temperans, abſque moleſtia moderabitur voluptatibus corporis. Nec tamē ethici commentarii vniuerſam diſciplinam ciuilem continent, ſed & huius altera pars cognoſcenda eſt, & in ciuitate exercenda: quare initio librorum de vita & moribus idem ait, eam ipſam methodum eſſe ([13]) politicen aliquam, id eſt totius priorem partem: rectè omnino. Cum enim conſilium cepiſſet de optimo ciuitatis ſtatu informando, quod neq; ipſe diſſimulauit, & interpres Gręcus diligenter indicauit, à doctrina de vita & moribus, quæ ethice dicitur, initium fecit, ſecutus hic neceſſariam ac proinde veram methodum. Nam quo modo remp. rectè inſtituat, niſi prius eius partes bonis moribus inſtruat? videlicet vnumquemque, ſiue ipſos ciues, & domus ſingulas. Differit igitur ante omnia de moribus, deinde tradit diſciplinam domeſticam, tandem de optimo ſtatu ciuitatis diſputat. Benè monet interpres ille luculentus, quòd qui animum aduertet, non dubitet, & per ſe videat. Seruat enim hunc ordinem in inſtituta ſcriptione, vt à moribus tranſeat ad politica, ita proprie dicta,

([13]) *Sic loquitur initio ethicorum.* ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται πολιτική τις οὖσα.

ibi tum quaſi nouo initio facto: quod neque inueniri potuiſſe videatur, niſi vita hominis prius informata bonis moribus. Et vero alio loco aſſerit, hanc de moribus diſciplinam partem eſſe diſciplinæ de republica: (14) *Initio,* inquit, *conſiderandum eſt, mores ad quam partem referantur. Vt igitur dicam breuiter, videantur haud alius diſciplinæ pars eſſe, quàm politicæ. Nihil autem geri poteſt in rebus ciuilibus, niſi quis ſit cuiuſdam modi, ſtudioſus videlicet. Iam vero ſtudioſum eſſe, eſt præditum eſſe virtutibus. Oportet igitur ſi quis capeſſat remp., quod ad mores, ſtudioſum eſſe. Quare, vt videtur, com-*

(14) *Sic orditur Ariſtoteles* ἠθικὰ μεγάλα. πρῶτον ἂν εἴη σκεπτέον, τίνος ἐστὶ μέρος τὸ ἦθος. ὡς μὲν οὖν ἐν τόμῳ εἰπεῖν, δόξειεν οὐκ ἄλλης, ἢ τῆς πολιτικῆς εἶναι μέρος. ἔστι δ' οὐθὲν ἐν τοῖς πολιτικοῖς δυνατὸν πρᾶξαι ἄνευ τοῦ ποιόν τινα εἶναι· λέγω δ' οἷον σπουδαῖον· τὸ δὲ σπουδαῖον εἶναι, ἔστι τὸ τὰς ἀρετὰς ἔχειν. δεῖ ἄρα, εἴτις μέλλει ἐν τοῖς πολιτικοῖς πρακτικὸς εἶναι, τὸ ἦθος εἶναι σπουδαῖον. μέρος ἐστὶν ἄρα, ὡς ἔοικε, καὶ ἀρχὴ, ἡ περὶ τὰ ἤθη πραγματεία τῆς πολιτικῆς. *Dicitur* ποιός τι εἶναι, *qui præterquàm quod intelligit, animum adfert ad agendum:* ὁ γινώσκων τε ἅμα καὶ προαιρούμενος: *quod nec in ſcientijs, nec in artibus requiritur. Nam & mathematicus, & phyſicus, & poeta, & pictor eſſe poteſt,* ἄνευ τοῦ ποιοῦ τινα εἶναι. *Ad eos enim quâ ij ſunt, cogitatio & cura, quibus moribus quo animo ſint, non pertinet: ſed quâ homines. Sic enim ad neminem non.* Σπουδαῖος *autem ſtudioſus eſt, non vt hodie abſolutè ſtudioſum dicimus, qui bonis litteris ſtudet, vt ſtudere quoque inferiores Latini dicebant, vt Plinius in epiſtolis loquitur: ſed virtutis ſtudioſus.* ἠθ. Β. *in extremo:* ἔργον ἐστὶ σπουδαῖον εἶναι.

men-

mentatio de moribus, eſt pars & principium politicæ diſciplinæ. Hinc intelligitur, aditum non patere ad reliquam politicen ei, qui hanc, (liceat enim nunc mihi ſic loqui) artem neglexerit. Negligit autem & ille, qui licet eius intima inueſtigando ſcrutetur & cognoſcat, non perinde tamen animum & mores ex eius præceptis & ſecundum ea informat. Non enim hîc agitur de ſcientiæ opibus parandis, ſed de adipiſcēda virtute. Actio enim in hoc genere finis, non cognitio: nec alia actio, quàm quæ cum vera dignitate coniuncta ſit, & ſolida laudem mereatur, cum omnia ex decretis ſapientiæ geſta tendant ad ſalutem ciuium & reip. Tamen in iis cognoſcendis porro, nec leue & longo tempore ſtudium eſt ponendum, vt omnia deinceps minore negotio, & meliore exitu gerantur. Sed illud peracre & incredibile ponunt plures, quos non induſtrios ſolum, ſed igneis ingeniis eſſe fatearis, ſcopo propoſito, quem vir bonus non probet, & politice minimè conſtituat, nec tam in vera & ſalutaria præcepta vitæ, quàm in artes Autolyci, quibus vel prȩſtantes viros & vera laude florentes per inuidiam & calumniam ſubuertant, vel prima ſibi, ſi diis placet, bona, puta, honores, diuitias, opes, potentiam concilient. Equidem referre arbitror, hæc rectè doceri & decantari ad iuuentutem. Forte enim occupent animos, neq; dum imbutos ſiniſtris opinionibus, neque à conſideratione veri auerſos exemplis peſſimis licet ſplendidis. Nā qui è portu ſalutis in altos fluctus longo vitę tempore auecti fuerint; nec ad Cynoſuram ſuſpicere,

 nec

nec ad sideritin oculos deflectere dignentur. Hęc dicta sibi principes ciuitatis putent, ad quos referuntur cumprimis: immo & ad omnes, qui cætus hominum frequentare & colere, & quæcunq; negotia attingere, in animo habeant, aut sibi oblatum iri, suspicari possint. Hoc fuisse caussæ dixerim, cur Socrates, vt est apud (15) Xenophontem, auctor fuerit familiaribus, ne statim ad disceptandum & dicendũ, & ad tractanda negotia, ad machinas fabricandas, studium omne conuerterent: sed antè, quàm illorum quidquam aggrederentur, eos modestiam & reliquam virtutem sibi comparare oportere, sentiret. Qui enim in illis præstarent, nec animum ad modestiam & virtutem composuissent, iniustiores, & ad iniuriam faciendam instructiores arbitrabatur.

(15) *IV.* ἀπομνημ. Τὸ μὲν λεκτικοὺς, καὶ πρακτικοὺς, καὶ μηχανικοὺς γίγνεσθαι τοὺς συνόντας οὐκ ἔσπευδεν, ἀλλὰ πρότερον τούτων ᾤετο χρῆναι σωφροσύνην αὐτοῖς ἐγγενέσθαι, τοὺς γὰρ ἄνευ τοῦ σωφρονεῖν ταῦτα δυναμένους, ἀδικωτέρους τε, καὶ δυνατωτέρους κακουργεῖν ἐνόμιζεν εἶναι. *Qui in lectione Græcorum versantur, eos animaduerere oportet, quomodo nomine* σωφροσύνης *quoque loco vtantur. Sunt enim* σώφρονες, *temperantes, item modesti: & sic prudentes nominant: denique moderatos & bonos.*

CAP. XIII.

Quæ & quanta præterea præstet Politice.

SEd ad reliqua pergamus, quæ promittit politice. Instituit singulos, vt dictum est, quemadmodum se gubernent, vt nunc vno verbo o-

mne ſtudium officii complectar: deinde, quemadmodum plures: ſed proximè proximos, primùm ſcilicet, quos domi alimus, & hoc pro eo diſcrimine, quod inter ipſos eſt: docet, inquam, de re familiari tuenda, nec minus de inuenienda monet, de officio mariti & vxoris, de educatione liberûm, de regenda familia, de cæteris, quæ multa ſunt, ad domum pertinentibus: prodit tandem ipſa in publicum, & oſtendit munus ſuum, quod habet proprium, indicatum nomine, & quod maximum rectè creditur. Pertinet enim ad vniuerſam ciuitatem, ita vt nec vllum ordinem, ac ne quidem humillimum, nec in ciuitate aliquem, ac ne quidem abiectiſſimum, prætereat aut negligat. In ea ergo methodo aperitur primus ciuitatis ortus: oſtenditur, qui ſit & quot ſint πολιτειῶν ſtatus, eorum qui probi, qui vitioſi, qui ſimplices vniuſque generis, qui velut è pluribus compoſiti, quo pacto quæq; politia cōſtituatur, conſeruetur, labefactetur, euertatur, (nam neq; hoc neſciendum, quando & morborum cognitio medicis neceſſaria) qui ſtatus in quos quomodo plærumq; migrent, cuiuſmodi leges quibus aptiſſimè congruant, de ferendis legibus, de magiſtratibus, de educatione pueritiæ, quouſque ipſa legitime abſoluatur, de pace, de bello, deniq; de omnibus tam incommodis, quàm commodis reip., quòd illa amolienda, hæc concilianda ſunt: neq; vero non agit de cultu numinis: non ſolum, quia nulla abſq; religione conſtitui conſeruarique poteſt ſocietas, ſed multò magis, quòd hanc æternam legem, & re-

ginam,& matrem,& moderatricem,& interpretem cæterarum omnium, violari omnium minimè oportet. Inſcripta enim eſt, immò inſculpta omnium mentibus per omnes gentes vniuerſi orbis,eſſe Deum:nec fuit vllus populus tam barbarus & immanis, qui negarit: nec vllus omnium mortalium,qui quamuis verbo obſtinatè negarit, non tamen ſemetipſum, vel tunc ipſum, vel ſæpè in intimis præcordijs mendacij, quandoq; toto animo cohorreſcens,conuicerit, & æternis ſuppliciis condemnarit;humaniores, progreſſi vlterius, viderunt eſſe, vnum omnium regem & patrem omnium, datorem bonorum omnium & cuſtodem, conditorem & rectorem orbis, auctorem boni in natura vniuerſi, cauſſam primam & vnicam omnium, quæ ſunt, nec ab iis ſemotam, & extra omnia perfectam, in ſe omnia; quod homines ſani,nec prorſus demerſi in vitiorum gurgitem ex mundi opificio admirabili viderunt, & docti porro inueſtigatione cauſſarum luce naturę,deprehenderunt,& apud ſe certò conſtituerunt, licet ad vnum omnes à pleniore Dei cognitione & abſoluta veritate, quam per ex ſe ſemper genitum interpretem ſuæ voluntatis aperuit, longiſſimè abfuerint. Omnes tamen in hoc vno conſpirant: quem eſſe ſtatuant, vt eundem omni animi cultu venerentur: etſi deinceps de cæteris eôdem ſpectantibus

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Plæriq; enim ad dæmones & ſtatuas delabuntur: qui minimè malè ſentiunt, ſuopte ingenio nec inueniunt nec capiunt quæ Veritas ipſa ſola nouit,&

uit, & ſaluti noſtræ denunciat. Cæterum de huius diſciplinæ cura, de religione, alio loco quæri, ab aliis determinari debet.

Cap. XIV.

Eſſe architectonicen inter cæteras diſciplinas, & regiam artem.

EX iis autem, quæ diximus, ferè perſpicitur dignitas politices, vt ſumma & prima omnia omnibus polliceatur, vt præſtet, & vni, & multis, & ciuitati ſummum bonum, & benè beateque viuendi rationem. Nec lector hîc obliuiſci debet, nobis de ciuili beatitudine ſermonem eſſe, quam nec ipſam tamen aliquis abſque auxilio diuino, niſi impietatis & extremæ infelicitatis magiſter, ſomniauerit. Omnibus enim tum regiè ſeruit, tum humaniſſimè imperat. Nec eſt enim, vel vlla ciuitatis partium, vel ciuium ordo, vel cuiuſcunque conditionis aliquis, quin huic ſubiiciantur & pareant. (16) Eius vero finis aliarum artium & facultatum fines in ſeſe omnes complectitur. Vnde fit, vt cum omnibus illis præcipiat, proximis, ſecundis, remotioribus, remotiſſimis, rectiſſimè appelletur architectonice. Architectus enim, poſtquam ædificii formam excogitauit, & animo deſignauit omnia, fundamentum, parietes, ianuas, feneſtras, thalamos, tectum, faſtigium, quid quando quomodo fieri velit, imperat operis: ipſe, niſi libeat, manum o-

(16) *Confer cum his initium ethicorum: ſed hæc ipſa hîc magis illuſtrare, abs re non fuiſſe, fateor: quod alio, nec incommodo loco, non negligemus.*

peri non admouet, nec opus eſt: quicquid aduehendum, ferendum, parandum, fabricandum, quoquo modo expediendum ſit, ipſæ operæ accurrunt: vbi oportet, præſtò ſunt, opus quiſque ſuum facit, laboris piget neminem, imperium architecti accipiunt omnes vltro, vt interdum abſens adeſſe tamen & induſtriam probare, opus ſurgens collaudare videatur: quod tamen ipſius vicem præteriens ſpectator admirabundus facit. Namq; & hoc in principio & intelligebat & agebat, vt deligeret ſuæ artis quemque peritiſſimum, & præ aliis induſtrium, & in opere faciendo, labore obeundo omnes bonæ fidei habitos. Talis architecti æmulus erit politicus, architectonicen omnium primam profeſſus. Sed hic quoq; cum gubernatore, hæc cum gubernatoria recte cõparatur. Sic enim apud Æſchylum in Septem ad Thebas Eteocles, ſtatim initio (17)

Κάδμου πολίται, χρὴ λέγειν τὰ καίρια,
Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ, πόλεως
Οἴακα νωμῶν, βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ.

Atque hunc locum quaſi interpretans apud (18) Platonem Socrates, à rege transfert ad politi-

(17) *Thebani ciues: qui rerum ſummam cuſtodit, clauum dirigens, neque ſomnum oculis videns, eum dicere oportet, quæ ſint ex vſu publico.*

(18) *Euthydemo.* Ἐγὼ φράσω. ἔδοξε γὰρ δὴ ἡμῖν ἡ πολιτικὴ καὶ ἡ βασιλικὴ τέχνη ἡ αὐτὴ εἶναι. Κρ. τί οὖν δή; Σωκρ. Ταύτῃ τῇ τέχνῃ ἥτε στρατηγικὴ καὶ αἱ ἄλλαι παραδιδόναι ἄρχειν τῶν ἔργων, ὧν αὐταὶ δημιουργοί εἰσιν, ὡς μόνῃ ἐπισταμένῃ χρῆσθαι. σαφῶς οὖν ἐδόκει ἡμῖν αὕτη εἶναι ἣν ζητοῦμεν, καὶ ἡ αἰτία τοῦ ὀρθῶς πράττειν ἐν τῇ πόλει, καὶ ἀτεχνῶς

cen.

cen. Hic igitur ſic ad Critonem. Ego dicam. Etenim nobis ciuilis & regia ars eadem videbatur. Quid hoc igitur? quærit Crito. Socrates reſpondet, Quoniam & imperatoria & aliæ artes videntur ei imperium earum rerum tradere, quarum ipſæ ſunt opifices, ac ſi illa ſola ijs vti nouerit. Itaq; nobis prorſus viſa fuit, quam quærimus, & cauſſa eſſe, vt rectè omnia gerantur in ciuitate, & reuera, vt eſt in iambis Æſchyli, ſola ſedere in puppi gubernatrix omnium, omniumque imperatrix, & efficere omnia, quibus opus eſt. Sic tragœdus ille grauiſſimus, ſic diuinus philoſophus, vterque idem rectè. Equidem gu-„ bernator in puppi ſedet, haud otioſus, vt quis iu-„ dicet, omnia ipſe animo curaque, ſed primum,„ maximumq; negotium oculis manuq; gerens,„ dum alii malos ſcandunt, alii per tranſtra cur-„ runt, alii remos ducunt, alii ſentinam exhauri-„ unt, nec arbitratu tamen quiſque ſuo, ſed prout„ ille vel antè docuerit, vel ex re nata annuerit.„ Perfectè igitur ac ſcitè admodum hac imagine pingitur, ille, ſiue regem nomines, ſiue politicum. Eadem pictura & Tullius ſæpè vtitur: cuius maxime illuſtris eſt ſententia, & huc planè pertinet: quam ad Atticum depromit ipſe è ſua rep. *Teneſne*, inquit, *moderatorem reip. quô referre velimus omnia?* Nam *ſic, vt opinor, quincto in libro loquitur Scipio*. VT ENIM GVBERNATORI CVRSVS SE-„ CVNDVS, MEDICO SALVS, IMPERATORI VI-„

κτ᾽ τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον, μόνη ἐν τῇ πρύμνῃ καθῆσθαι τῆς πόλεως, πάντα κυβερνῶσα, καὶ πάντων ἄρχουσα, καὶ πάντα χρήσιμα ποιεῖν.

"CTORIA: SIC HVIC MODERATORI REIP. "BEATA CIVIVM VITA PROPOSITA EST, VT "OPIBVS FIRMA, COPIIS LOCVPLES, GLO- "RIA AMPLA, VIRTVTE HONESTA SIT. *Huius enim operis, maximi inter homines atq; optimi, illum esse effectorem volo.* Nihil non hîc egregiè dictum. Etenim id agit politicus, vt salua sit resp. Consistit autem hoc omnium maximè in bonis legibus & "virtute. Leges virtutem sanciunt, & cum hac o- "tium: intestinas calamitates prohibent: à corpo- "re cuiusque vim, à fama calumniam, à fortunis "periculum arcent. Alterum est, vt publicè & priuatim abundè necessaria suppetant, non solum aduersus cœli iniurias, & in victum quotidianum, sed etiam ad cultum virtutis: hæ sunt illæ copiæ. Nam in omnium aut potissimorum penuria, ne quidem commodè quis vitam agat, nedum eleganter & humanè: nec illa sit homini optabilis, quoniam neq; hominis, non tàm quòd perpetuo cruciatur, quàm quòd functionem nullam obire dextrè vmquam potest. Quando vero bonis viris in priuata vita inuidi & sycophantæ metuendi sunt, ciuitati etiam florenti & tranquillæ externi sæpe hostes ex insidiis & totis viribus imminent; & illum instructum prudentia esse & amicis decet, ac multo magis ciuitatem potentia & auxiliis, & consilio. Quæ ab aliis populis cum admiratione famam ei ciuitati pariunt. Hæc autem gloria appendicis vice accedit ad illa reliqua, & ciues cum ad virtutem, tum ad statum eundem tuendum & amplificandum inflammat, & tam pulcro sanoque corpori vitam in mul-

in multa ſæcula prorogat. In qua enim rep. quæ diximus, omni ſtudio coluntur, ea longæua eſt præ aliis, nec in ſe laborat vmquam, nec facilè hoſtili violentia conuellitur: quæ viuacitas & ipſa veterem gloriam noua accumulat, vt interdum redintegratis viribus, non tam veterem ſtatum agnoſcas, quàm recuſum conſtitutumque nouum exiſtimes: quo beneficio Athenas affecit ſapientiſſimus Solon. Et alterum etiam verum eſt, quod & (19) philoſophus dicit: qui primus ciuilem ſocietatem in genere humano conſtituerit, extitiſſe auctorem & cauſſam maximorum inter homines bonorum: nec non qui huius exempla vbicunque gentium ſecuti ſint, & ſequantur: etiam tertii, qui inuenta ſtabiliant & amplificent, vel prudenter fortiterque tueantur: nec nullus in iis, vel ſecundum eos, locus ſit, qui ad hoc primæ dignitatis, & maximè diuinæ opus, alios fideliter informent ſedulo, alios cohortentur. Nam quis rege numini propior? Atque politice regia ars eſt, qua, propter potentiam poteſt, propter legationē, qua ab imperatore omnium fungitur, debet, propter virtutem, qua is eſt, vult, neque poteſt non vti rex & quàm maximè & perpetuo. Traditur autem in hac ipſa, diſciplina regum: quæ vero in monumentis ſapientum de officio regis perſcripta ſunt, & ipſa omnia huc pertinent, cæteris item politicis cognoſcenda, magnoque vſui futura in republica.

(19) *Ariſtoteles* πολ. A. ὁ δὲ πρῶτος συστήσας, μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος.

Cap.

CAP. XV.

Non obtingere Politicen casu, etsi ad imperia multos fortuna tantum admouet.

HAbebam in memoria alia, & hinc inde mihi plura conquirere in procliui erat, quibus ornarem hanc rerum dominam. Facessat enim fortuna, quæ hoc nominis sibi ab insipientibus datum, & impudenter & falsò vsurpat, quæ si à virtute, multò magis à summa virtute, compescitur, vel quamuis multum reluctata, in ordinem redigitur. Pauca saltem dicere de regina disciplinarum, eiusque dignitate, quam nec immerito maiestatem dixeris, aut præfari, mihi visum fuit: panegyricum pangere in animo non habui: nec tantæ rei me parem esse existimem: non putabam à me alienum, eam à calumnia vindicare, & è contemptu eripere conari: in quo amplius etiam mihi laborandum intelligo. Multi enim, qui, etsi quantum valeat, vident, tamen animis vagantur, nec sibi satis persuadent, esse rationem certam administrandæ reip. aut si sit, non esse eius disciplinæ quasi scholam aliquam & magistros: pueros in ludo discere litteras, in palæstra exerceri ad luctam adolescentes, alios in museo discendi gratia canere fidibus: sordidas quidem etiam artes ad eundem modum parari: non eam rationē esse politices: quasi nemo sit eius expers, vt patrium sermonem omnes loquuntur, aut certis ingeneretur, vt aliis timiditas, aliis audacia. Ac videtur sanè dici aliquid posse pro vtraq; sententia. Nam & vnusquisq; de iis rebus, quas à

pueris videmus, non nihil ſentit & loquitur: & nemo res magnas inter mortales geſſit abſq; indole heroica. Verum hanc nihilominus erudiri arte & vſu perfici neceſſe fuerit, quod infra dicetur pluribus: nec omnes plus intelligent de negotiis, quàm præſtet quis in arte muſica, etſi nemo natus eſt, quin quodam modo & ipſe canat. Vix eſt, quod præterea dici poſſit, niſi remp. temeritati fortunæ tradendam cenſeamus, vt ſapientia de ſolio deturbetur, & illa ſuperba furia cenſura amentiæ denuo domina rerum renuncietur, vt quemadmodum quis iure vindiciarum agellum, ita ipſa auctoritatem & imperium recuperaſſe videatur. Sed cum iniqua ſit fortunæ & rationis comparatio, illi largiri homines nihil debemus, vbi rationi locus eſt, nec aſſentiri verbo falſo, quamuis veteri, quo dicitur, in vita fortunæ omnes eſſe partes, nullas ſapientiæ. Notum eſt enim,

Vitam regit fortuna, non ſapientia.

benè expreſſum de Græca ſententia non proba,

Τύχη τὰ θνητῶν πράγματ᾽ οὐκ εὐβουλία,

quam probaſſe Theophraſtum, ſi verum eſt, ipſe mirer, niſi aliud fortunæ nomine intellectum voluerit. Deus enim determinat & perficit omnia, ſed hic tamen rerum ordinem & rationem ſtatuit, quæ ſequi mortales debemus, quoad poſſumus. Sed illi tamen, vel doctrinæ rudes, vel imperiti rerum in contemptu politices confirmantur, quod alios atq; alios ſine ingenio, ſine litteris, ſine virtute, ſine rerum vſu, ob genus, ob diuitias, ob potentiam, (neque me fugit eſſe plu-

res, &

res, & in iis aliquas deteriores caussas, quas inuestigare piget, exponere omnes pudeat) ad honores in rep. sæpè eos primos adscendere, vel etiam rapi vident: paterna regna teneri à regum filiis, qui magis de venatione, conuiuiis, aleâ, aliis, solliciti fuerint, quàm de ratione siue arte imperandi, cuius elementa à nemine acceperint, & vel nullam esse, vel sibi inutilem, arbitrentur: ita etiam cogitant: eos, qui principem locum in rep. tenuissent, si artem ciuilem esse iudicarent, eam potius filios docerent, quàm suis diuitias relinquerent, quibus coaceruandis plæriq; incubuissent. At vero, vt liberos quàm ditissimos faciant, hoc agunt præ omnibus, parumque adeo abest, quin id vnicum: de altero, ac ne forte quidem de honesta sobolis educatione, illis in mentem non venerit. Denique ex aliis, qui dicerentur educati ad imperium, reperias plures otii turbatores & ciuitatum euersores, quàm custodes tranquillitatis, & iustos rerum administratores. Hinc igitur fit, vt aut non esse ciuilem facultatem vel artem, aut nulli vsui esse opinentur, & clamitent. Verum videamus quid eorum quæq; ponderis habeant. Nam, quod ad proximum; ex bona educatione nemo, nisi peruersissimi ingenii, malè imperat: sin quis magni ingenii ad remp. educatus, vt videri poterat, rem malè administret; vel vmbra illa educationis, vel educatio peruersa fuit, vel non nisi inchoata, vel si quid deinceps malè gestum, id abiecta ratione regiæ disciplinæ euenerit. Namque & hoc fieri potest, vt animo bene informatus, cum intelligat, quibus

bus opus ſit, tum iis vti conſtituerit, multis modis deprauetur antè, quàm ſe ſatis confirmauerit. Primùm enim ſecundæ res animos, præſertim iuuenum, facile tranſuerſos agunt in dementiam: præterea ipſa potentia in lubrico eſt, quam ſemper à ratione ſiue ſapientia fulciri oporteat: & ſe variæ voluptates blanda facie quotidiè inſinuant: & vltro aduentant cupiditates vndique: accedunt foris cum aliæ fraudes, tum adulatio. Hæc miris artibus quaſi telis ſubtiliſſimis aranearum, ſed ἀρρήκτοις (20) ἀλύτοις, incautos irretit facile, & interdum cautos capit. Quod ſi quid illorum fiat, eo diſciplinæ dignitatem minui non arbitrabimur: quæ ſeruare & regnum & regem poſſit: quin hinc eiuſdem vis ſiue virtus magis perſpicitur, quando ea repudiata, nec ſaluus eſſe rex poteſt, & huius vitio totis prouinciis ingruit calamitas. Fieri quoq; experimur, vt quæ indoles inſtitutione acuatur, nihilo euadat melior: ſic ex vna parte quis eruditus ſit, neglectus ex altera, & ipſa meliore: quia quò quis euadat perſpicacior, hoc fiat nequior & deterior, niſi cum cultu ingenij ſemper officij ſtudium coniungat. Abit enim à prudentia ad aſtutiam, nec vllam virtutem reſpicit, ad fraudem conuerſo animi oculo. Qui eo modo factus educatúſue ſit, is nunquã re ipſa rex erit, aut moderator æquus ciuitatis. Quocirca ſatius erat aliquando, non educari, quàm peruersè, aut ſolum ex altera parte educari, & tantùm præceptorum ciuilium co-

(20) *Quæ nec diſrumpi, nec diſſolui queant: ex Homero de vinculis Vulcani.*

 pia im-

pia imbui, quæ ſunt inſtar ancipitis gladij: quo latronem rectè confodias, eum ſceleratè ſtringas in ſodalem. Sunt enim eiuſmodi quædam conſilia, ita vel bona vel mala, quemadmodum iis vtaris. Sic autem, ſi ſit aliqua indolis bonitas, aboleatur, & conuertatur in contrarium. Nec enim ita delectamur ſimplici integritate, vt acumine, & non à quiuis animaduerſa perplexitate. Itaque verſipelles apud animum, & nonnunquam inter ſuos triumphum agunt, ſi quem artibus iſtis ſupplantauerint. Verum deprauatæ educationis modos perſequi non conabimur. In infinita namq; re, vt ſunt mala cuncta, fruſtra erimus. In vno autem omnium facillimè aberratur & grauiſſimè. Cum enim, quod ex iis quoq;
„intelligi poteſt, quæ multò antè diximus, falſus
„finis proponitur, tum mala conſilia indagari &
„alia ex aliis eiuſdem notæ vſurpari in omnibus
„ad illum finem ſpectantia, neceſſe eſt: vt ſi ſeruu-
„lus in comœdia fortè fallaciam in herum confin-
„xerit, dolos è dolis comminiſci neceſſe habet,
„donec ſe in piſtrinum præcipitet, aut ſi quis pe-
„regrè profectus de via aberrarit in ſolitudine, v-
„bi ex nemine poſſit quærere ſemitam, & ille neq;
„ventos conſulere, neque aſtra decreuerit, errare
„in perpetuum & perire, ipſum oportet, niſi de-
„ſperatum iam caſus aliquis in viam referat. Ita
„etiam qui ſibi primum perſuaſerit, rectè ſe o-
„mnia referre ad ſuam libidinem, nunquam ille
„princeps tolerabilis, ſed tyrannus futurus eſt,
„nec fortunis ſuorum, nec vitæ parcet, dummodo
„quod ſibi libitum fuerit, habeat & agat. Qui di-

uitias

uitias ſpectarit initio, & in hoc conſilio perſeueret, vtut variis artibus ingenium excolat, expilator erit potius ęrarii, vel depeculator, quàm reip. gubernator: inueniet, quamuis iniuſtas, occultas & varias augendi patrimonii vias, nec vllum fraudis genus intentatum relinquet. Forte non opus ſit de iis dicere, qui nomine educantur, nec deducuntur tamen ad ipſum negotium, ſiue ſtudium diſciplinæ regiæ. Dantur autem principum filiis magiſtri, quod laudo, ſed maius deinceps requiro, è quibus latinè diſcant intelligere, etiam ſcribere & fari, quod fortaſſis vnus & alter adipiſcitur: in quo tamen nihil eſt per ſe diſciplinæ regiæ: nec etiam per ſe aliæ artes huc faciunt, nec ſcientiæ, quæcunque ſint, & quamuis ſubtiles, quibus laus ingenii abſq; hac ciuili diſciplina comparatur. Fateor tamen, non ſolum illas huic nihil obſtare, niſi quis ſe in eas totum ſolas demerſerit, ſed prodeſſe plurimum: id quo pacto quibuſque de cauſſis, docuit nos Plato, & ante eum Pythagoras: quin hic ipſe, eiuſque familiares exemplo fuerunt aliis, & nobis ſint, ſi animum aduertamus. Non ſuſtinet igitur culpam educatio regia, quæ aut nulla fuerit, aut praua, aut repudiata, quam tenere & religiosè perſequi oportuerat. Qui regum filii diſciplina regia à teneris imbuti non fuerint; non omnes male geſſêre rempublicam. Si malè, mirum non ſit, cum „ aliud exſpectari non potuerit: vt nouum non ſit „ ſubmergi & perire, qui natandi neſcius in rapi- „ dum & profundum flumen deciderit. Sin ille „ cum populis ſuis ſaluus ſit, abſque educatione &

ciuili ſua ſcientia; aut ſeminii heroum eſſe putabitur, aut vſus optato in vicibus regiis gerendis ſenatu, aut præter rationem ſeruatus non niſi diuino beneficio. Manet igitur nihilominus politicæ ſua dignitas: cui, ſi quid eſt ſalutis inter mortales vſpiam, omnem ſemper ipſi acceptam ferre ſecundum Deum cogimur, vbi rem recte perpenderimus. Nec vero id in regnis ſolum & amplis imperiis, ſed etiam in ciuitatibus. Cum enim plures in ſenatum leguntur, & plęrique, nobiles, opulenti, potentes; nec omnes ſunt ſine ingenio & litteris, nec quis omnium ignauus, ſtolidus, totus in luxu, palàm iniuſtus: boni omnes audire volunt: vnde officium non deſerunt, aut non ſemper deſerunt: plæriq; in iis non ſolum videri, ſed eſſe quoq; boni viri ſtudent, ſiue veritatis gratia, vt ille Amphiaraus, ſiue vt famam tueantur, & locum ſuum: quod omnibus in mentem venit, & plæriſq; cordi eſt. Videas in curia, qui vſum rerum habeant: ſunt, qui tempore comparent, quod ibi tuto fit, vbi minores ſpectant, quid geratur, maiores ſummę reip. pręſunt. Neque vero non etiam adſciſcuntur in ordinem ampliſſimum ex bonis viris & prudentibus vnus atq; alter, etiam plures, vt ſi quæq; ciuitas non abundet, vix tamen vlla careat in vniuerſum bonis moderatoribus & politicis, quibus auſcultare cæteri poſſent, & par erat. Quæruntur etiam & adhibentur, qui in rebus obſcurioribus & difficilioribus, tum in foro, tum in curia præſtò ſint. Optabile erat, quod & fieri poſſe videatur, omnes eſſe vniuſmodi, id eſt, bonos & pru-

prudentes viros:verum hoc haud ſcio an vmquã vſquam euenerit: ea eſt humani ingenii imbecillitas,ea humanarum rerum inconſtantia: aut futurum aliquando alicubi ſit. Optemus ſecundo loco, quod fortè aliquæ reſp. conſecutæ & aliæ conſecuturæ videantur, vt bonorum, & ſatis bonorum maior ſit aut par numerus: aut ſi ſint pauciores, vt conſilio, ſic auctoritate, plus valeant, quod interdum contra fieri teſtantur hiſtorię,rebus in diſcrimen adductis. Vbi vero imperiti & improbi dominantur, & præualent, aut turbulentorum ciuium vnus aliquis vel etiam alter,perfractis legum repagulis,pernicioſa conſilia, fabricantur; ſi non exitium, magna ei ciuitati impendet calamitas.

Cap. XVI.

Cur, ſi ars imperandi docetur, præſtantes rerump. gubernatores eam filijs ſuis non tradant.

IAm quando oſtendimus, mala aliunde eſſe, & oriri in ſocietate mortalium, quicquid eſt boni, à politice; videamus qui de politicis, arte iſta ſua filios non erudierint, quod facturos fuiſſe credibile eſt, ſi artem eſſe aut doceri poſſe cenſuiſſent. Cogeret enim eos incredibilis erga liberos amor. Cum enim nemo non ex ſeſe natos velit eſſe vel ſe ipſo meliores, illíne rerump. principes omnium ſcientiarum principem filiis inuideant? Bonos autem viros fuiſſe credimus Themiſtoclem, Ariſtidem, Periclem, Thucydidem, & præclarè de patria meri-

tos: ſed neque Themiſtocles filium Cleophantum, quem tamen tum in aliis, tum in equeſtri re, facile exerceret, virtute & ſapientia imbuit: nec Ariſtides filium Lyſimachum fecit quoquam meliorem: nec Pericles filios Paralum & Xantippum, qui iam præſtabant arte equeſtri, arte muſica, vario genere certaminum perfecti: neq; Thucydides Athenienſibus & ſociis carus, primo loco natus, præſtans auctoritate, filios Meleſiam & Stephanum, quos erudiendos dedit in arte luctandi, alterum Xantiæ, alterum Eudoro, ipſe erudiit virtute. Ita ſe principes in rep. viri, item alij geſſerunt erga filios, vt & hæc eximia virtus & ciuilis prudentia tradi non poſſe videantur, cum & rebus geſtis & conſiliis præſtantes, liberis illa non tradiderint. Ponamus hoc extra controuerſiam, patres illos, viros magnos, & nihil maluiſſe, quàm filios eſſe patrum ſimiles, & omnia conatos, vt eſſent & monendo & docendo, & per ſe, & per alios. Cum enim cæterorum nihil negligerent, primi boni rationem in educãdis liberis habuiſſe credibile omnino eſt: neq; tamen ſi in aliis profecerunt filii, idcirco neceſſarium erat, & in hoc eos proficere: immò quô hoc maius, tantò erat difficilius. Quod autem difficillimum, id non niſi perpaucis obtigerit. Vt enim qui curſu valeat, non idem & lucta valebit: ita qui acri ingenio præſtet, non erit perinde natus ad virtutem politicam: etiam virtutibus corporis præditus, animi dotibus non ęque excellat, quicquid diligentiæ, & machinarum adhibueris. Monſtrum ſit,
in quo

in quo nihil prorſus valeat educatio: nec vero tamen hæc poteſt omnia. Natura enim educatione prior eſt: illa quod cui prorſus negauit, hæc minimè reponat: illa quod largita ſit, hæc, rectè inſtituta, foueat, perficiat, augeat, neglecta deleat, deprauata non ſolum ſi quid boni ſit perdat, ſed etiam plurimum ſubſtituat mali. Iam ſi indoles heroicum nihil ſpiret, ne quidem ex accuratiſſima educatione pręſtantiam eiuſmodi cuiquam polliceri poſſimus. Nec vero parentum ſemper ſimiles ſunt liberi, ſed mira ſæpe eſt diſſimilitudo, non ſolum in vultu, ſed etiam quod ad ingenia, & conditionem. Fit enim, vt ex humilibus oriantur illuſtres, ex malis interdum boni: ſed multò peruulgatius, vt à præſtantibus filij degenerent. Taceo, quod de hoc ipſo poëta canit, & quod vulgus in ore habet: Demoſthenes opinatus & vſurpaſſe fertur, quaſi fato fieri, vt ex probis viris naſcantur viles liberi. Et Hippocratis filios, vt ſtolidos, nec ſanis moribus, exagitauit vetus comœdia, quod patet ex Ariſtophane, & ex Eupolide adducitur: quos ille pater feciſſet aureos, ſi per educationem ſtetiſſet. Eſt in eximio quoque diuinum quiddam, ſiue genium dicas, quod natura vix propagari dixeris, & hæc ipſa pro varietate ſuarum opum, alios aliis bonis beat, &, quos videtur, negligit. Quid igitur miremur, ſi vt neq; Apelles aut Protogenes in pictoria filium præſtantem ſeu mediocrem fecerit, ſic neque Pericles, aut quis alius principum ciuitatis, filium cura atque opera ſua politica diſciplina perfecerit. Neque hîc ſolum,

ſed in quacunque alia re,etiam mediocri,parum agit vel optima inſtitutio,niſi natura fundamentum ſtrauerit, niſiq; ille cuiuſcunque diſciplinæ alumnus natiuus, eiuſdem amore totus ardeat. Ipſa tamen naturæ vis in quo vigeat, nec diſciplina exſuſcitetur; metuendum ſit, ne tempore "in vniuerſum deleatur. Hinc igitur apparet, vt "& omnis diſciplina natura nitatur, vt principio, "& natura diſciplinæ egeat, vt corpus alimento- "rum,ne contabeſcat fame. Hinc illud eſt, quòd adultiores interdum non negant, in ſe educandis neglectum nihil penitus,nec ſe tamen percepiſſe aliquid ſperatorum fructuum: ſcilicet,aut ingenium non erat, aut animus abhorruerat. Alij ſe neglectos queruntur,vel inſtitutos perperam, cum ingenio abundarent, & virtutem ſcientiámue vnicè expeterent. Vix aliqui, inuita Minerua,vt aiunt, accurata inſtitutione, magno labore, longo tempore, ad præſtantiam peruenerint: etſi forte proficiant, & fiant ſe ipſis meliores,atq; omnino alij,quàm initio fuerint,quod ipſi etiam gaudeant: vt ſi mercator rem non faciat mille talentorum, boni tamen conſulat, quidquid congerat, aut ſi ſe ſaltem à turpi paupertate & ære alieno vindicet. Pauciſſimos autem vnicam naturam ſecutos, quoquo illa duceret, id ſine diſciplina perfeciſſe exiſtimem. Quo nomine ſe paſſim magnificè effert Pindarus: nec aliud eſt, quod ſe Muſis dictantibus ſuum poëma ſcripſiſſe iactat Heſiodus: quos tamen vel doctrinæ aliquid accepiſſe ab aliis crediderim, vel nobilia priorum exempla intuitos.

CAP.

Cap. XVII.

Oſtenditur Politicen ſtudio comparari poſſe & cumprimis debere.

COnſtare iam nobis arbitror, quod agebam; nec ſemper in patribus eſſe, vt educatione ſui ſimiles faciant filios, nec quidquam diſciplinę cuipiam vel arti derogari propterea. Reiectis igitur imperitorum rationibus, quæ viderentur, nec veræ tamen eſſent, etſi incautiorem ſpecie aliqua forte in fraudem inducerent, atq; ita ſimul vindicata dignitate politices; ſequitur vt oſtendamus, & eſſe quaſi artem aliquam & poſſe ſtudio comparari. Argumento autem vtar, non niſi vno atque altero. Redeundum enim erit ad eiuſdem quæſtionis enodationem, quando quomodo acquiratur primum bonum, ſiue beatitudo, docere conabimur. Illud autem, quod cum ratione repudiauimus, cum vulgo viſum fuerit, hoc quoq; videri plæriſq; exiſtimo: nec ſolum ſapientibus, à quorum decreto exteris abire non liceat, ſed & aliis, qui aliquid mentis & conſiderationis habent. Etenim à memoria hominum apud gentes paullò cultiores, nec non apud plæraſque barbaras, (nam quæ immanes ſunt, eas in belluis relinquemus.) ſemper aliquam fuiſſe, tum ad mores tum ad remp. educandi viam, compertum habemus ex hiſtoriis. Alii quidem ſecuti fuere aliam: ſed à vera plæriq; aberrarunt: nec hi inter ſe diſcreparunt leuiter: & hodie multa eſt, tum in aliis rebus tum in hac diſſenſio, cuiuſmodi & in alimentis differentia: tamen & pri-

uati vbiq; ferè terrarum educauere liberos atq; etiamnum educant: & hoc ſeruauêre reges, vt filios ad regna educarent, aut hoc velle viderentur: atq; idem ipſis populis placuit, quemadmodum de Perſis ſupra meminimus, neq; ignotum eſt de Ægyptiis: etiam quibus hoc adeo non cordi eſt, vt omnem eam curam abieciſſe videantur, interdum tamen ſuos docent, & cohortantur, natura excitante. Natura ſanè optima, dux & optabilis eſt, modò eam agnoſcamus, agnitam ſequamur, aut non penitus auerſemur. Nec vero putabimus, cæcos animi impetus, affectus turbidos, acres cupiditates, verſutiam & inſcitiam, magis eſſe natura, ſiue naturæ, quam rationem & ſcientiam: quarum neutra exiſtit abſque altera: certè hæc ſine illa cogitari non poteſt: & illa hanc ſemper aliquam parit. Hæ igitur ſunt propriæ naturæ, illa inimica naturæ, quam hoſtiliter quotidie adoriuntur, ſæpè expugnant & euertunt. Ratio & ſcientiæ fidæ ſunt noſtrûm, ſiue naturæ, & perpetuæ conſeruatrices: his imperium debetur, illa cedere & ſeruire fas eſt. Itaque ſæpè nobis occinunt ſapientes, hominem natura ſcire deſiderare, hominem natura factum ad ciuilem ſocietatem, vnumquodq; animal conſeruationem ſui moliri, alia, illis conſentanea. Quare & cuncti, niſi quis naturæ tam inſanè quàm ſtultè reluctetur, ad ea quoq; tendimus, quæ ad ſalutem ſingulorum vniuerſorumque faciunt. Vt autem à natura ne deſciſcamus, ſed in eius decretis perſeueremus & confirmemur; ad hanc rem nihil æque neceſſarium eſt,

adeo-

adeoque omnium caput, prima educatio; quam & ipſi naturâ expetere videmur omnes. Etenim quotquot non in vniuerſum mente errant, educationi ſtudent & diſciplinæ, tum in quibuſcunque rebus aliis, quantumuis puſillis, tum ad cultum vitæ. Hinc eſt ſapiens illa oratio Socratis, quam è Xenophonte referam. Cum enim comperiſſet Euthydemum multa poëtarum & ſophiſtarum memorabilia dicta collegiſſe, & arbitrari, ſe iccirco æqualibus longè anteire ſapientia, & ſpes ingentes fouere, futurum, vt aliquando tum dicendi facultate, tum agendi, omnes ſuperaret, primùm animaduertens ipſum per adoleſcentiam nondum in forum venire, ſi vero quid gerere vellet, conſidêre in taberna quadam frænaria, foro vicina, in eandem & ipſe ſecedebat, ducens ſecum aliquos familiarium: atque ibi ſciſcitante quopiam, vtrum Themiſtocles conſuetudine ſapientum alicuius, an vero natura tantopere ciuibus antecelluerit, vt in ipſum ciuitas oculos coniiceret, quoties egregio viro opus eſſet, Socrates, vt permoueret Euthydemum: (21) *Stultum eſt*, inquit, *arbitrari, non poſſe quemquam præſtare in artibus minutiſſimis, niſi idoneos præceptores habuerit: at vero gubernationem ciuitatis, rem omnium maximam, fortuito obuenire hominibus.* Hoc diuinitus omnino Socrates. Namq; non ſolum

(21) *Tertio* ἀπομνημονευμάτων. *In iis hoc maximè memorabile:* εὔηθες ἔφη εἶναι τὸ οἴεσθαι τὰς μὲν ὀλίγου ἀξίας τέχνας μὴ γίνεσθαι σπουδαίας ἄνευ διδασκάλων ἱκανῶν, τὸ δὲ προεστάναι πόλεως, πάντων ἔργων μέγιστον ὂν, ἀπὸ ταὐτομάτου παραγίγνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις.

lum

lum artes, quæ aliquid momenti & difficultatis
in ſe habent, vſumque neceſſarium & peculiarem
in vita prę̨ſtant, ſed etiam minima quæque & vix
digna, & ne digna quidem appellatione artis,
quòd vel adeo facilia, vel etiam ludicra, quorum
vſus, aut nullus ſit, aut perexiguus, aut ſuperua-
caneus, quæque nihil parumve referat, ſciáſne,
an neſcias; eorũ nec velimus, nec auſimus quid-
quam profiteri, niſi didicerimus, niſi exercueri-
mus. Verum artes ſunt vitæ vtiles, quibus abſque
incommodo in vita non careamus, primum fa-
brorum non vnius generis, ars rei ruſticæ, guber-
natoria, textoria, fullonia, ſutoria, ſartoria, aliæ:
earum aliquam tractat nemo, niſi poſſit magi-
ſtrum oſtendere, vel nominare alterum, à quo
quiſque ſuam acceperit. Impudens ſit, qui ſe poë-
tam aut oratorem profiteatur, ille, niſi poëtarum,
hic, niſi dicendi artem, didicerint: itemque, ille,
niſi ſe in pangendis verſibus, hic niſi in copia o-
rationis & multiplicibus ornamentis, diu mul-
tumque exercuerint. Diſcunt neceſſaria facilli-
ma, ſulcum aratro ducere, adſcendere equum,
equo vehi: nec enim de nobiliſſima arte equeſtri
dicam. Diſcunt minuta, alia perneceſſaria, alia
non niſi ludicra, litteras legere, ſaltare in choro,
cantillare; etiam minutiſſima, crepidas aptare
pedibus, pallium humeris iniicere, ſeruire men-
ſæ. Denique nihil omnium eſt, quod dextrè &
vtiliter, & cum laude, vel abſque reprehenſione
facias, niſi ab alio acceperis, niſi in ea re operæ
curæque aliquid antè poſueris. Quare ſanus eſſe
non videatur, qui dubitet, eſſe certam admini-
ſtra-

ſtrationem rerum ſiue politicen; aut alterum, eam doceri & diſci, & poſſe & oportere. Nec eſt, quod quis quam dixi inſtitutionem in minutiſſimis eludat. In aliquibus pauxillum aut non admodum referre dabimus. Nam etiamſi pes in chorea lyræ non reſpondeat; iccirco nec amicus cum amico contendit, nec frater cum fratre dimicat, nec ciuitates inter ſe ſuſceptis inimicitiis belligerantur. Nec ob tonum ſeditionem in rep. motam dixeris: nec inter coniuges nata odia ob ſubtemen & ſtamen. Tamen nec lyram, nec dictionem, nec talem quis tractet, quin didicerit. Vtut autem damni facturus nihil videatur; quis aliis ridiculo eſſe, quàm placere malit? quis reprehendi, quàm laudari, in quantilla etiam re? vnde tamen alicui videas notam aſpergi, quam tota vita non eluat: quæ ſi non vera infamia, non tamen nulla eſt vulgi opinione. At ferè nemo non, ſed imperitiſſimus quiſque maximè, tantum ſibi ſumit, vt ſe rem familiarem benè adminiſtraturum, multoque adeo magis honores in patria præclarè geſturum ſperet. In illa autem fatebuntur omnes magnum eſſe operæ pretium, in hoc ex ipſa re conuincentur eſſe maximum. Quemadmodum enim (22) publica calamitas

(22) *Sapientiſſimus Solon hoc determinauit: publica, inquit, calamitas in cuiuſque domum penetrat, nec eam clauſa ianua arceat: quin ardua ſepta tranſilit, & ſi quis fugam paret, eum illa tamen omnino in angulo vel in cubili deprehendit. Verſus memoria digni ſunt,*

Οὕτω δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ' ἑκάστῳ,
Αὔλειοι δέτ' ἔχειν οὐκ ἐθέλουσι θύραι.

vnum-

vnumquemq; premit: ita ſalus publica cuiq; ſaluti eſt. Quo enim quis domi otio fruitur, id haurit è pace publica: quas vitæ domeſticæ concinnas rationes habemus, legibus & æquitati ciuitatis iure acceptas ferimus. Illud igitur, quod toties dictum fuit, agamus, vt diſcamus officium & exerceamus, nec non omnem rationem recte viuendi & conſulendi patriæ, in quibus omnis prudentia vertitur. Quorum alterutrum qui vetat fieri, aut faciendum non arbitratur, qui illi rei, vt certæ diſciplinæ, omni ſtudio maturè incumbendum negat, aut ſiue auctoritate, ſiue falſis rationibus, ab ea animos iuuentutis alienat, is quod poteſt, virtutis curſum in multis remoratur, & in aliquibus etiam ſiſtit, & publicæ ſaluti plurimum incommodat: ſi ſciens faciat, ſe deteſtabili patriæ parricidio obliget. Cum enim cuiuſque artis diſciplina artem ipſam tueatur & propaget, num dubites, quin idem abolitor artis ſit, qui diſciplinæ? vt qui teneræ ætati in vniuerſum interdicat à litteris omnem liberalem doctrinam exterminet, & barbariem vitæ rerumque dominam conſtituat. Velim, vt in hoc loco fui verboſior, ita quæſtioni ſatisfecerim: quod factum putabo, ſi lector, etiam in hoc moroſior, mihi aſſentiatur. Namque & alii hæc pridem intelligunt, alii obſtinatè perſiſtunt in inſcitia; quorum hos nemo fortè permouerit, illi in re explorata, nec mea, nec cuiuſquam opella egebant. Fortè tamen, in quibus nonnihil occu-

Ὑψηλὸν δ᾽ ὑπὲρ ἕρκος ὑπέρθορεν, εὗρε δ᾽ πάντως,
Εἴγε τις ἢ φεύγων, ἐν μυχῷ ἢ θαλάμῳ.

patus

patus fui, ea deinceps magis illuſtrabuntur. Hæc enim ita cohærent, vt ſuperiora à ſequentibus, & hæc ab illis lucis aliquid accipiant. Non ſolum enim quæ dicta ſunt, & ad ſequentia pertinent: ſed quæ dicentur, etiam ad illa nonnihil facient.

Cap. XVIII.

Qua ratione diſciplina ciuilis comparetur, & primò, qua indole eius cultorem eſſe oporteat.

RELiquum autem eſt, vt oſtendamus, quæ via, ſi vna ſit, aut, ſi plures, quibus viis, vir ſtudioſus ad politicen perueniat. Qui curſu certant, iis è legitima ſemita euagari non licet, ſed à carceribus rectâ ſemper ad metam euolant, vt cum præmio victoriam referant. In hoc genere, vbi rectè facto, non properato opus eſt, alia atque alia ratione fieri poſſe exiſtimem, vt veniamus, quô volumus: etſi vnam eſſe præter alias optimam, nec tamen vni cuilibet æquè commodam, ipſe quoque facilè conceſſerim. Ego quid velim, exemplo aperiam. Si enim hinc iter habeam Venetias, recta via eam per Boios: nec tamẽ non appellam, quô cogitem, ſiue ad dextram declinans, proficiſcar per Heluetios, ſiue ad læuam per Auſtriam, ſi alterutrum horum animo magis lubeat, vel videatur rebus meis accommodatius. Ita fortè nec vna ſit ratio adipiſcendæ politices, de quo præmiſſis aliis videbimus. Eſſe autem ei expediat, cui non ſit integrum, illud, nec breue, nec facile, ad prudentiam, omnemque ciuilem virtutem, iter ingredi. Nec enim qui ſit tenuioris valetudinis, aut non ſatis inſtru-

ctus viatico, longinquum iter ſuſcipiat. Initiò altius mihi eſt principium ponendum, vt ad rei declarationem paratiores accedamus. In hoc plæriſque conuenit, ad cuiuſque artis comparationem tria omnino neceſſaria:(23) naturam, doctrinam, & conſuetudinem. Nam quod ad primum, etſi in vilioribus ingenii pauxillum, tamen membrorum integritas, quorum in quaque vſus eſt, requiritur: & ibi magiſtro opus, qui vel verbis, vel manu ducat, quid ille nouitius ſequatur: ſed & hunc oportet operi manum admouere, & rei periculum facere, nec vllo labore defatigari. Nec niſi vmbras artis ſibi comparet, in quo illorum trium aliquid deſideretur. Natura enim ſi ſtudio tuo aduerſetur, nihilo plus agas, quàm æger, qui

(23) *Ita Plutarchus* ἐν τῷ περὶ παιδ. ἀγωγ.: ὃ κατὰ τῶν τεχνῶν, καὶ τῶν ἐπιστημῶν λέγειν εἰώθαμεν, ταὐτὸ καὶ κατὰ τῆς ἀρετῆς φατέον ἐστίν· ὡς εἰς τὴν παντελῆ δικαιοπραγίαν δεῖ συνδραμεῖν· φύσιν, καὶ λόγον, καὶ ἔθος. καλῶ δὲ λόγον μὲν τὴν μάθησιν, ἔθος δὲ τὴν ἄσκησιν. *Libellus in omnium manibus eſt, ex quo cognoueris, cognoſcáſve cætera. Tradunt cum his conſentanea, etiam cum ad excellentiam cuiusq; artis, ſiue ſcientiæ, ſiue virtutis, ſiue virtutum omnium, plura requiri autumant. Sex enim numerant Hippocrates & Iamblichus: ille his verbis, & hoc ordine.* Φύσιν, διδασκαλίην, τόπον εὐφυέα, παιδομαθίην, φιλοπονίην, χρόνον. *hic ferè eodem modo,* φύσιν, τέχνην, ἐπιθυμίαν καλῶν καὶ ἀγαθῶν, τὸ φιλόπονον, παιδομαθίαν, καὶ πολὺν χρόνον: *naturam, diſciplinam, morum integritatem, inſtitutionem à teneris annis, laboris patientiam, denique multum temporis. Eſt omnino vtriuſq; locus & conſideratione digniſſimus & memoria.*

cum

cum robusto luctetur. Natura porro tibi propi-" tia,ni te exerceas, nec audias, vt agas, quod agis," frustra te aliquid acturum speres. Ducit autem" naturam ratio, qua sine illa offendat, quasi ca-" pta oculis. Si tibi & natura nihil neget, & præ-" ceptorum abundè sit, tu vero te non exerceas," an non quo potiri possis, id repudiare videaris?" Qui se exerceat verò, natura siue irata siue pro-" pitia, absque legitima disciplina, nihilo erit arte" melior; quin se indies deterior, quem pueri quo-" que ludos faciant, dum ipse sibi stultè placet," quod in inepto fidicine & poëtastro maximè ap-" pareat. Ingenio præstantem cum fundo fertili" comparant, qui nec conseratur, nec colatur: fe-" ret hic fortè vuas acidas & fructus agrestes, non" idoneos esui, quos primo gustatu abiicias, quod" acerbi, quod alieni saporis. Quod cum ita se" multo magis habeat in artibus exquisitioribus, architectura, statuaria, pictura, variis musicæ generibus; indolem in vnoquoque diligenter existimari oportere censuerunt. Sunt enim alii alia, vel militari, vel georgica, vel pictoria, vel musica, vel ad quamuis aliam artem procliui. Sit" quis indole à musicis aliena, animoque abhor-" rens à citharistica; quidquid aut vltro agat, aut" agere iubeatur, quicquid etiam audiat, perdi-" scatque præceptorum, nunquam ille nobis præ-" stabit, aut Phemium aliquem, aut Demodocum:" quin si in fidibus aliquando oberrabit, & aliis" molestus sit, & sibi ipse succenseat. Sit alter, vt" sic loquar, indole musica, nec inueniat artis sua-" uissimæ ducem eruditum & fidelem, inueniat"

"autem citharam, quam ne de manibus quidem "deponat, rude tamen & inconcinnum ſemper "ille canet, nec vnquam nouerit, quod expetat, "nec audiet, qui deſideret. An non verò, quod in cæteris, hoc multo maximè valebit & in reconditioribus doctrinis & in primis virtutibus? Ad hæc vtriuſque generis paranda, primo omnium, eximiam, atque adeo diuinam indolem poſcimus, quantò ipſa ſunt maiora, admirabiliora, & difficiliora. Diuina enim, & paucis mortalium "conceſſa. Hoc eſt illud Moly, quòd nemo niſi "Vlyſſes effoderet; hic ramus ille aureus, quem "ſolus Æneas decerperet. Cui non ſint tamen "ingenii vires, incaſſum contendat in omnibus. "Aut enim nihil penitus proficiet, aut vix tantil"lum, & in ipſa ſcientia, quam ſi adeptum ſomni"et, referetur in profundum inſcitiæ pelagus:

"*Non aliter, quàm qui aduerſo vix flumine lembum*
"*Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,*
"*Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.*

Hic ille puſillus eſt, qui ridetur in Græco verſu, (24) Mineruæ procus. Hinc Galenus tam non rationali ingenio multos eſſe queritur, vt ſcientias, quas profiteantur, explicare nō valeant, nec ſanè intelligant. Quorum enim quis confuſam notitiam habet, ex iis ſeipſum expedire nequit, nedum illa dextrè proponat alteri. Nec propterea in hac parte ſum longior, vt quem à doctrinæ ſtudio deterream, ſed quemque ingenii ſui naturam explorare, & vires experiri iubeam. Si quis

(24) *Verſus eſt:*
Καὶ τῶν ἐὼν ὀλίγος μνᾶται εὔπηχυν Ἀθήναν.

enim

enim aliquid conetur, in quo valeat natura, quantillum etiam hoc ſit, vel quô à natura alliciatur; habet, quod de conſilio operaque ſua benè ſperet. Imbecilliori tamen naturæ ſubueniri poſſe non dubitabimus. Cæterum, præter indolem ad virtutem ciuilem, tria videtur complecti (25) naturæ præſtantia, memoriam, docilitatem, ſolertiam, ſiue acumen, ſiue perſpicacitatem. Neq; nos hinc remouemus intelligentiam & iudicium, quæ ſi non ſemper ſunt in memori, tamen à docili & perſpicace abeſſe nequeunt. Quod quis enim non intelligit, nec iudicat, id diſcere exiſtimari non poteſt, ſi de rebus agas: verba quis fortè ediſcat, & verſus in morem pſittaci. Quod item quis & facilè & intimè perſpicit, id niſi & intelligat, & iudicet, perſpicere non exiſtimetur. De iis verò nunc breuiter, nec plus, quàm hic locus poſtulat.

(25) μνήμη, εὐμάθεια, ἀγχίνοια.

Cap. XIX.

Quod ſubſidium memoriæ requiratur.

MEmoria igitur eſt, quaſi arca penuaria, in quam quæ meminiſſe velimus, recondamus paruo negotio, & minore depromamus eadem quæcunque lubeat, cum & quoties opus eſt: quòd in ea, quæ deprompſerimus, non minus firmiter hærent, ac ſi marmori æriúe inciſa ſint. Qui ad hunc modum & accipit & reddit viſa, audita, lecta, eum bona memoria præditum dicimus. Sunt enim etiam, qui non facilè accipiant: ſunt, qui ſiue facilè ſiue difficulter accepta, ſtatim vel breui amittant, vt non

„memoriæ, ſed quaſi aquæ inſcripta fuiſſe videantur: quaſi quæ prora veſtigia imprimit, à puppi ſtatim pereunt. Illa vero alia verborum, alia rerum eſt: in illa exercentur pueri, vt ſi natura bona ſit, eam augeant: ſin exigua, mediocrem ſibi comparent. Sic enim naturæ labanti opem feras: bonam perficias. Sed ne mediocris quidem vel etiam minuta, contemnenda: nec eximia in vniuerſum negligenda: etſi qui memoria excellit, non item iudicio, ſolidos ſui laboris fructus non percipit, nec veræ & diſtinctæ ſcientiæ quidquam aſſequitur. Dubia enim & confuſa rerum cognitio ſcientia neque eſſe poteſt, neque dici meretur. Ita comperîmus in quibuſdam eſſe ſtupendam potius, quàm vtilem memoriam, vt Hippiæ apud Platonem: qui ſe nomina quinquaginta ſemel tantum audita pronunciare poſſe gloriatur. Nec de ſua pueri adhuc memoria diſſimulat Seneca, qua videlicet ita floruerit, vt non tantum ad vſum ſufficeret, ſed in miraculum vſque procederet, quòd nimirum duo millia nominum recitata, quo ordine recitata fuiſſent, referre potuerit, & ab iis, qui ad audiendum præceptorem conueniſſent, ſingulos verſus à ſingulis datos, cum plures quàm ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens, ad primum recitare: eiq; ita memoria felix fuit, non ad complectanda tantum, quæ vellet, ſed etiam ad continenda, quæ accepiſſet. In aliis fuiſſe prodigioſam nec optabilem accepimus, qui verborum multa millia ex omnibus linguis ſignificantia, non ſignificantia, neque quicquam cohæ-

ren-

rentia, ſemel audita, quo ordine accepiſſent, vel ſi quis iuberet, retrogrado, vel quocunque alio modo, redderent: cuiuſmodi Corſus ille fuit Patauii noſtra memoria, de quo hoc vix credibile ſcriptum reliquit Muretus, teſtimoniis tamen id plurium confirmans, quę refert: ac Corſus ille denique affirmârat, ſe triginta ſex millia nominum eo modo recitare poſſe. Sed & de huius & de ſophiſtæ illius glorioſi memoria, nihil amplius. Senecæ quin diuina fuerit dubium non eſt, quando ille tantus vir tanta & doctrina & virtute fuit, quantam & hiſtoriæ & viri monumenta prædicant. Talis fuit & ſæculo ante hoc ſummi viri, Iulii Cæſaris Scaligeri. Hic enim de ſe teſtatur eâ, quam filio dictauit ad amicum epiſtolâ, homo verus, & inanis gloriæ contemptor, vtpote veræ, quoquo te verteres, abundans, vt diurnis expeditis negotiis, veſperi ad ſexaginta verſus (de tot alteris aſſeuerat filius) ſæpè commentatus fuerit, quos poſt cœnam, alia negotia veſpertina, ſomnum, alia negotia matutina, poſtridie & pranſus, vt cōcepiſſet veſperi, ad verbum ſine vlla hæſitatione ſcribi iuſſerit; quod vero amplius eſt, decem & ſeptem Aeſchyli verſus, ſemel tantum lectos, ſumma fide memoriter ilicò reddiderit; cuius tot, vel pauciores, verſus lectos ſubito intelligere, non imperito Græci ſermonis arduum eſt. Sed nos, vt cæteris mediocribus, ſic mediocri memoria contenti erimus: qua qui deſtituatur, ei ad omne genus doctrinæ aditus interclusus eſt: cui eiuſdem aliquid vel minimum ſuppetit, eam colere neceſſe habet, vt pro-

ficiat in litteris. Cauſſam initio explicauimus, cui ſuffragantur poëtæ, qui matrem Muſarum nominant, Mnemoſynen: Memoriam interpretatus fuit Ennius. Antè verò quàm tantum bonum, vel tanti boni ſemina exareſcant, in tenera dum ætate exercenda eſt memoria: at in quibus? nec enim in quibuſcunq;. Spurca enim deteſtabimur, inanes nugas & vulgaria quæque relinquemus, quæ ignorare, vel ſi noris, obliuiſci, quàm meminiſſe, ſatius ſit. Nihil eſt poëmatis elegantius, & verſus propter numeros facilius inhærent; nihil iis, delectu habito, ad vitam vtilius. Hoc innuit Æſchines, cum profert Heſiodi verſus in Demoſthenem.(26) *Eam ob cauſſam*, inquit, *ſententias veterum pueri ediſcimus, vt viri ijs vtamur*. Sed exiguus earum vſus ſit in recitatione: nec illę parum ad dicendi facultatem conferunt, ſiue ſenſa animi, ſiue dictionem ſpectes: tertius eſt vberior & verior, vt de recta vitæ ratione quotidiè nos moneant, & conſiliis ad quaſcunque vitæ partes inſtruant. Hunc potiſſimum vſum plærique hodiè neſciunt. Hoc erat potiſſimum, cur olim Homerum ante omnes diſcerent: verum de hoc inferius iterum. Contulerit plurimum hiſtorias ediſcere, ſed & de his iterum. Quod ſi qui de arte memoriæ quærant, quod facient non tam natura obliuioſi, quàm conſuetudine deſides, non inueſtigabo, cuiuſmodi eam Simonides, vt aiunt, ſiue quis alius, primus inuenerit: etiam dubito, audiendíne ſint,

(26) *Sic Æſchines*: Διὰ τοῦτο γὰρ τὰς τῶν παλαιῶν γνώμας ἐκμανθάνομεν, ἵνα ἄνδρες γενόμενοι αὐταῖς χρώμεθα.

qui

qui nobis eius informationem pollicentur: vereor enim, ne inaniis nos expleant. Nec nego tamen esse: quod dicatur, quod in vsus hosce depromatur. Ad rem facit, quod diximus esse exercendam in optimis: subiicio & hoc necessarium, ordine primùm paucula & facilia discat puer, nec accumulet alia aliis antè, quàm superiora benè meminerit, repetat initio sæpè, & tantisper, dum in mente radices egerint. Futurũ est, vt memoria multis sapientiæ præceptis abundet, & multa plura capere quasi desideret, & retinere possit. Tertium, simul ad alias omnes dotes animi pertinet, vt corporis voluptatibus renuncies, & totum te temperantiæ imperio subiicias. Ab hac enim quo quis longius declinabit, hoc animi bonorũ adipiscetur minus. Vita autem luxu perdita, nec consilio, nec sapientiæ, nec saluti relinquit locum. Sed dicam, vt hîc obsit: nam qui in amoribus sunt, vnum meminerunt, cæterorum obliti omnium, solas quippe delicias habent suas in thesauris memoriæ. Ita, qui in vino semper sunt, & eorum mens semper in vino natat. Sobrius sit & continens, qui in litteris esse velit. Minus studio sapientiæ cum intemperante vita commercij est, quàm fulloniæ cum carbonaria. Cur enim hoc tam vtile & necessarium decretum, quod veritásne pro virtute, an virtus pro veritate promulgarit, aliquis dubitet; (quin diuina sapientia vtriq; hoc modo consultum voluit) cur id non occinam iuuentuti sæpius? Addendum & de rerum memoria aliquid. Qui sententiis, quas dixi, res contineri censeat,

non aberret omnino: nec eas res nunc intelligimus, de quarum etiam veritate ſæpè ambigitur: nec res intelligo oratorum, quæ ipſorum argumenta ſunt, quibus perſuadēt auditoribus quod volunt: ſed doctrinas ſiue ſententias, quæ nos de conditione rerum humanarum erudiunt, nec non animos ad officia, & conſilia magnopere informant. Talium memoria vt exercenda, & ſimul quo pacto in ipſo ſtudio ſapientiæ cum fructu verſandum ſit, ſuo loco docetur aptius. Hæc enim rerum memoria, ipſa illarum pænè cognitio, aut cum ea coniuncta, alia adminicula, nouam exercitationem, ac ſuum legitimúmque ordinem poſtulat.

CAP. XX.

Quanta docilitas & ingenij ſolertia ac perſpicacia.

IN docilitate autem quantum boni ſit, nec id obſcurum eſt. Magnum quidem, quæ audias dextrè tradita, mente quaſi manu prehendere. Etenim qui ſic diſcit, quid magis deſideret, quàm doctorem eximium, tradentem vera copioſè & ordine & perſpicuè? Nec enim docet qui falſa docet: nec ſatis docet, qui neceſſaria præterit: qui quæ ſe docere profitetur, ea obſcurat & inuoluit, nec docere videtur, nec docere credi poteſt. Vbi vero lux rebus à doctore allata fuerit, nec eam repente, aut paruo negotio accipit auditor, obtuſo ſit ingenio, nec ſatis ad liberales diſciplinas idoneo. Sunt tamen qui omnem hanc difficultatem ſuperent diligentia. Hæc enim hebes ingenium acuit, non minus quàm negli-

negligentia acre obtundit. Hoc ipſum in docilibus perficitur, qui præterquam quòd quæ audiunt & legunt, facile percipiunt, in omnibus monſtratorem non requirunt, ſed ipſimet progrediuntur, quaſi iam certi de via, ſiue, vt qui per ſe facilè ad ſcopum collineant. Sic enim philoſophus definit (27) perſpicacitatem, collineationem ad medium ſiue cauſſam, quæ tamen ſubito quaſique momento fiat, nec opus ſit, vt inter ſagittandum multo oculorum cum aliqua mora niſu, ita hic diuturna meditatione. Eueniat enim, vt quæ ab alio accipias etiam ſubtilia, haud ita difficulter animo comprehendas, ſed ipſe per te nihil ſimile inuenias, niſi te forte diu multumque torqueas. Si quis videat lunæ eam partem, quæ ad ſolem vergit, ſemper lucere, cum reliqua obſcura maneat, facile cogitando inuenit ſolers, cur hoc ita fiat; quod videlicet lucem ſuam à ſole mutuetur, cuius in eam radii ex obliquo infundantur. Si obæratus cum fœneratore ſermonem ſæpè conferat, eius domum frequentet, argentum ab eo mutuum peti facile ſuſpiceris, quod ſagacitati ſimile eſt. Nec minus enim hæc ratio in conſiliis, quàm in ſcientiis valet. Qui animaduertat Xerxem copias incredibiles conſcribere, commeatum in tot annos parare, claſ-

(27) *In extremo prioris priorum* ἀναλυτικῶν. ἡ δ' ἀγχίνοιά ἐστιν εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου· οἷον, εἴ τις ἰδὼν, ὅτι ἡ σελήνη τὸ λαμπρὸν ἀεὶ ἔχει πρὸς τὸν ἥλιον, ταχὺ ἐνενόησε διὰ τί τοῦτο λάμπειν ἀπὸ τοῦ ἡλίου· ἢ διαλεγόμενον πλουσίῳ, διότι δανείζεται· ἢ διότι φίλοι, ὅτι ἐχθροὶ τοῦ αὐτοῦ.

ſem inauditam adornare, dicat ſubitò, eum exitium Græciæ moliri. Ex hac ſolertia mirificè prædicatur à Thucydide (28) Themiſtocles. Non ſolum hic vir memoria tantoperè præſtabat, vt artis memoriæ, quæ ipſi ab erudito homine aliquo offerretur, ſe non egere diceret, ſed obliuionis, ſi extaret, expetere, qua deleret ex animo quæ obliuiſci quàm meminiſſe mallet: idem vero etiam, ſi ſubitus aliquis caſus ſe obtuliſſet, proſpiciebat, quid omnino facto opus eſſet, & coniectura omnium facillimè euentum aſſequebatur. Etiam Xenophon (29) refert, Cyrum puerum, quod adeo ſolerti ingenio præditus eſſet, ad quæſita & celeriter & commodè reſpondiſſe. Euidens eſt vtrumque exemplum. Verum natura ſiue naturæ vis in puero magis quàm in adulto euceſcit: in hoc enim etiam vſu quæſita & confirmata videatur. Oſtendimus autem à docilitate intelligentiam non abeſſe, neque à ſolertia iudicium, quod videlicet etiam acrius eſt, quàm in mediocribus: ſed cum eâdem vel in eâdem ineſt, vel ineſſe debet, mirificus amor veri, quippe qui veritatem ſiue ſcientiam, quod illius plenior ſcientia eſt, omnibus rebus mortalium anteponit, & habet in rebus diuinis, ſicut reuera

(28) *Thucydides lib. I. de Themiſtocle:* Τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής.

(29) *De ingenio Cyri* Κύρου παιδείας. Α. Καὶ πάντων τῶν ἡλίκων διαφέρειν ἐφαίνετο, καὶ εἰς τὸ ταχὺ μανθάνειν, ἃ δέοι, καὶ εἰς τὸ καλῶς καὶ ἀνδρείως ἕκαστα ποιεῖν: *item multò inferius:* διὰ τὸ ἀγχίνους εἶναι, ταχὺ ἀπεκρίνετο.

eſt,

est, etiamsi plærisq; mortalibus vbiq; terrarum omnibus sæculis ita minimè videatur. Prima enim putant, quæ sensibus grata sunt, & in quotidiano vsu populi versantur: de sapientia auditione vix aliquid acceperunt: nomen virtutis vulgo vsurpant, quam fere non nisi vtilitate metiuntur, cuius spe sublata, de illa sibi amplius laborandum non existimant. Solertia autem illa natiua quidem est, sed magis splendescit vsu: vsus enim non minus in ea valeat, quàm consueuit in aliis omnibus. Neque etiam ille solers negliget nobile veritatis & scientiæ instrumentum, quo non nulla corrigat, confirmet omnia.

Cap. XXI.

Quam egregia item propensio ad omnem virtutem & quomodo ea fouenda.

HActenus de illis animi dotibus, quas raras & admirabiles qui agnoscet, idem fortè obiiciet, eas non admodum aut non satis videri conferre ad virtutem & politicen: conuertere enim ea posse, qui velit, in perniciem aliorũ & exitium patriæ, adeoq; ita multos abusos fuisse præstantia ingenii, idq; fieri quotidiè, vt exemplis ex historia neque veteri neq; noua prolatis opus sit. Eorum hoc ita profecto se habet: nec illud inficias ibimus. Nec enim illa naturæ præstantia, quam hactenus descripsimus, ad solidum virtutis fundamentum sufficit: singulari ad virtutem indole opus est. Neque tamen non plurimum ad virtutem faciunt, quæ prælucent veritati non solum in scientiis, quod in confesso est, sed etiam in a-

in actionibus & consiliis. Nec enim præclari aliquid geras, nec sana consilia inuenias absque prudentia, quam veritatis, siue rectè gerendarum rerum inuestigatricem inuentricemq; censeas. Quod ad animum siue animi propositum, & mores & actiones, videmus alios natura vergere ad vitia, vt tantum non à virtute abhorreant, & vix multo labore consequantur vmbram prudentiæ. Quid his faciamus? Quos natura inopes à consilio reliquerit, vt seruos fecisse videatur, erunt pro instrumentis in republica, vt remiges, milites gregarii, aratores, plurium generum opifices, & cæteri, qui quæ fabricantur & agunt, in iis mente minus, manu plurimum vtuntur. Cunctos eò redigi oportet, nisi quos genus & maiorum diuitiæ è tam vili conditione exemisse videantur. Etenim his adminiculis fulti se voluptatibus dedunt, nec vitam multò aliter atque pecudes transigunt, nec sunt vsui patriæ, sed magis oneri. Plærosque tamen natura ita finxit, vt disciplina virtutis compotes fieri valeant. Hinc rectè dicitur (30) neq; natura, neque præter naturam ingenerari nobis virtutes, sed nobis natis ad eas suscipiendas, sic vt consuetudine & studio perficiamur. Nec tamen hoc ita accipias, quasi natura consulat, opituletúrve nemini: hæc enim profecto, vt in corporis statu ad speciem & vires, sic in animi perfectione ad intelligendum agendumque aliis atque aliis plus

(30) *Aristoteles initio* B. ἠθικῶν. οὔτ᾽ ἄρα φύσει, οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταί, ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους.

fauet.

fauet. Quos cogitatione honesti & gloriæ inflammatos florente ætate videas, eos si ad maiora natos iudices, non erraris. Ex his igitur erunt, non solum qui artes vitæ vtiles, quæ magis ingenio elaborantur, exercent, sed etiam rei rusticæ cultores, negotiatores, tribuni militum, aliqui magistratus in ciuitate: dum enim virtutem amant, dum colunt, dum honestè factis & laudi student, ipsi indies meliores fiunt, nec raro emergunt, vt aliquando principem locum merito suo teneant. Ad primos venio, qui si pauciores sint, si paucissimi, quid mirum? Nam ita est, vt & antè diximus, rarum esse, quiquid in quocunque genere eximium sit. In his est indoles, olim dicta heroica; quæ vt intelligatur, dicam valdè cum superioribus consentanea, quasique eadem, quę vitia à tali indole remota sint, quæ in ea bona hæreant. Procul ab ea absunt, mendacium, fraus, leuitas, sordes, auaritia, morositas, inhumanitas, inuidia, contumelia, iniuria, animi angustia, somnolentia, laboris fuga & periculi, & horum similia. Qui clamet ab his omnibus immunem esse ferè neminem, animum imbecillem animorum constantium mensuram iniquè facit, etsi verum est, in multis etiam millibus vix reperiri, in cuius pectore non hæreat aliquid labis, vel natiuæ, vel contractæ per consuetudinem: verum hæ pauciores vel leuiores elui posse videantur. Non leue est, si quis ab eiusmodi vitiis purgatum pectus habeat. Sic enim patefactus sit ad maximas virtutes aditus. Verum in tam generosa indole sunt præterea hæ virtutes natiuæ, siue

earum

earum certa fœcundaque ſemina, comitas, laudata ſimplicitas, beneficentia, animus bene merendi de aliis, vigiliæ, labor, ſtudium gloriæ, & his affinia, quæ cum virtutibus ſunt, & ad virtutes ducunt. Videre eſt, hæc eſſe natura in quorundam animis, nec dictum perperam, fortes creari à fortibus, nec non occulta vi naturę & mira viciſſitudine è magnis viles, ex humilibus oriri magnos, de quo & antè: ſed vtrumq; rarius, quòd illi nihilominus illuſtrantur rebus ſecundis, genere, opibus, potentia, hi, Deum immortalem, quantas difficultates amoliri, quantum deuorare non ſolum laborum, ſed etiam periculorum neceſſe habent. Bellum iis gerendum eſt perpetuum graue cum fortuna, ne eius inclementia & inſultu animum deſpondeant: grauiſſimum cum inuidia, quam ſuſtinere, id eſt, calumniatores, genus mortalium bonis & ſocietati publicæ peſſimum, id eſſe non minoris animi conſtantiæ ſcias, quàm in acie cum hoſte armis confligere, quod etiam maioris eſſe cum cauſſa quis contenderit. Interuallum namque datur in altero: inuidia nullo vmquam tempore quieſcit: infelice tamen ſibi & bonis fauſto exitu. Nam dum ipſa ſeſe cruciat & conficit, præſtantium virorum virtutem & exercet, & acuit, & illuſtrat. Sed ad naturam redeo, quemadmodum ipſa cuiuſmodi mores promittat, in infantibus non raro indicat. Videas enim, qui ſtatim arrideant, ad terriculamenta non expaueſcant, nihil poſtulent, porrigant, quæ habeant, aliis, ploratu abſtineant. Degeneres contrà, trepi-

dant

dant ad quiduis, plorant ad verbum durius, in quiduis inhiant, quod habent tenent mordicus, irascuntur, maledicunt. Hinc multa possis de futuris eorum moribus coniicere, etiam dispicere, quæ qualium educatio instituenda sit. Nam bona augeri, mala minui & corrigi posse, vt leuium morborum initia, non dubitabimus: at quanto beatius est, vt morbis, sic illis vitiorum, quorum quædam grauissima nascerentur, seminibus vacare? De indole satis: quæ disertus vberius & luculentius explicet, doctus nostris rationibus subiiciet alias & meliores: ipse non nisi vnum addam, quod neque Plato reliquit. Cum enim animus ministerio corporis vtatur, in huius ipsius membrorum perfectione multum etiam positum est, quod apparet euidenter, si quis sensuum grauiter violatus sit. In his enim quousq; aliquid desideratur, actione sua animus perfungi non potest: vt si in iis, quibus vox formatur, enorme vitium sit, quod arte corrigi nequeat, ille ad dicendum parum idoneus futurus videatur. Etiam credibile est, & rationi consentaneum, diuinum animum in culto domicilio habitare, vt monstrosum in distorto corpore: exemplo est Thersites, etsi contra Æsopus sapiens: at hoc rarius, illud frequentius. Forma Græcos Achilles superasse memoratur, etiam Nirea, qui hoc nomine prædicatur à poëta supra omnes: sed neque Nirei anima Achilleæ similis. Cyrum verò etiam Persæ versu formosissimum prædicarunt, vt refert Xenophon, ad cuius formam Araspa se fatebatur obstupescere. Itaque & in

in vulgi vocibus vſurpatur forma regia & ſpecies digna imperio, quaſi ſic repræſentetur animus ipſe, neq; maius ferè ſit, aut populo appareat argumentum animi regii: verum hæc variè ſe habent. Hoc certius & probatum à doctiſſimis hominibus, animam agere è temperamento, & mores noſtros, qui videlicet ex anima ſunt, ex temperamento corporis pendere aliquam partem: hinc fieri, vt proniores alii ſint ad voluptates, alii ad iracundiam, alii ad ratiocinãdum tardiores facile halucinentur. In quibus tres illæ facultates animæ minus temperatæ ſunt, nec efficitur quaſi quædam harmonia, plurimum illi habent negotii in animo ſuo ad virtutem informando, ſiue in domandis voluptatibus, ſiue in ira moderanda, vt hæ animi partes ſiue facultates dicto audientes ſint, ratio emergat, & naturâ debitum ſibi imperium teneat. In quibus ita temperata ſunt omnia, vt quod ratio videat, cæterisq; quaſi annuat, id vltro ſequantur, hos paruo negotio & perpetuo virtutis vſu ſummam virtutem, &, ni fallor, hanc, de qua agimus, ſiue heroicam, ſiue regiam appellare libeat, adepturos ſperemus, vt vbicunque ſint, quodcunq; agant, vigilent, dormiant, ipſi de officio cogitent, & de ſalute ſiue commodis mortalium, atque hæc ipſa labore & periculo ſuo omni occaſione procurent. Namque hæc ipſis vita eſt: quæ ſi præſtare prohibeantur, aut amplius non poſſint, rebus humanis eximi, quàm iis otioſi intereſſe malint. Non diſcrepat ab his, quod ſcripſit Zeno ad Antigonum in hanc ſententiam.

(31) *Na-*

(31) *Natura nobilis*, inquit, *facilè perueniet ad virtutis absolutam perfectionem, quæ cum benè exerceatur tum abunde erudiatur.* An vero nos egisse videmur aliud, quàm vt hanc sententiam aperiremus & tueremur? Indolem autem eiusmodi negligentia corrumpi, & luxu perire, ad Dionis propinquos scripsit (32) Plato, cuius auctoritatem, vt rationis interpretem, cum doctissimis libenter sequimur. *Quo cum venissem*, inquit, *vita illa, quæ ibi beata dicitur, plena Italicarum Syracusanarumque mensarum nullo modo mihi placuit, tum bis de die saturum fieri, tum nunquam pernoctare solum, & quæcunque instituta huic vitæ comitantur. Ex hac enim consuetudine nemo hominum, quotquot sub cœlo sunt, quamuis à puero in id incumbat, prudens fieri poßit: nec ita admirabili natura quis temperabitur. Nec verò futurum est, vt fiat temperans & moderatus: ac sanè de reliqua virtute eadem erit ratio.* Docet nimirum, naturam optimè temperatam, atque ita quasi natam factamq;

(31) *In vita Zenonis apud Dionem Laertium*: Φύσις δὲ εὐφυὴς, *inquit*, μετρίαν ἄσκησιν προσλαβοῦσα, ἔτι τε τὸν ἀφθόνως διδάξοντα, ῥᾳδίως ἔρχεται πρὸς τὴν τελείαν ἀνάληψιν τῆς ἀρετῆς.

(32) Ἐλθόντα δέ με ὁ ταύτῃ λεγόμενος αὖ βίος εὐδαίμων, Ἰταλιωτικῶν καὶ Συρακουσίων τραπεζῶν πλήρης, οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἤρεσε· δίς τε τῆς ἡμέρας ἐμπιπλάμενον ζῆν, καὶ μηδέποτε κοιμώμενον μόνον νύκτωρ· καὶ ὅσα τούτῳ ἐπιτηδεύματα ξυνέπεται τῷ βίῳ· ἐκ γὰρ τούτων τῶν ἐθῶν οὔτ' ἂν φρόνιμος οὐδεὶς ποτὲ γενέσθαι τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπων ἐκ νέου ἐπιτηδεύων δύναιτο, οὔθ' οὕτω θαυμαστῇ φύσει κραθήσεται· σώφρων δὲ οὔτ' ἂν μελλήσαι ποτὲ γενέσθαι, καὶ δὴ καὶ περὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς ὁ αὐτὸς λόγος ἂν εἴη.

ad virtutem, in eiuſmodi luxu & deliciis integritatem natiuã minimè conſeruare: ſed qua quantaque quis ſit naturæ bonitate ſiue excellentia, nec temperantem futurum; quî enim in ipſo quaſi gurgite intemperantiæ? nec prudentem; quî enim ſine temperantia, quę cuſtos perhibeatur prudentiæ? neque fortem, qui neque vigilias, neque laborem toleret, nedum periculum adeat: neque igitur iuſtum, qui cæterarum virtutum vmbram non habeat, & tum ſe, tum patriam deſerat. Qui enim ſe negligat, vel eat perditum, aliis opem ferre non poterit, nedum vniuerſæ ciuitati. Quare naturæ præſtantiam magni facere, & fouere, & excolere oportet, & ita ſentire, hanc eſſe quaſi ſolum virtutum omnium, neque virtutes exſtrui in altum poſſe abſque hoc fundamento, vel eo diruto: quin idem in eadem epiſtola diſertè affirmat. (33) *Quod ſi quis, inquit, à natura malè habitus ſit, vt in multis indoles & ad diſcen-*

(33) *Et hunc locum ex eadem illuſtri epiſtola deprompſimus:* Κακῶς δ' ἂν φυῇ, ὡς ἡ τῶν πολλῶν ἕξις τῆς ψυχῆς, εἴς τε τὸ μαθεῖν, εἴς τε τὰ λεγόμενα ἤθη πέφυκε, τὰ δὲ διέφθαρται οὐδ' ἂν Λυγκεὺς ἰδεῖν ποιήσειε τοὺς τοιούτους· ἑνὶ δὲ λόγῳ τὸν μὴ ξυγγενῆ τοῦ πράγματος, οὔτ' ἂν εὐμαθία ποιήσειέ ποτε, οὔτε μνήμη. τὴν ἀρχὴν γὰρ ἐν ἀλλοτρίαις ἕξεσιν οὐκ ἐγγίγνεται. ὥστε ὁπόσοι τῶν δικαίων τε καὶ τῶν ἄλλων ὅσα καλὰ μὴ προσφυεῖς εἰσι, καὶ ξυγγενεῖς, ἄλλοι δὲ ἄλλων εὐμαθεῖς ἅμα καὶ μνήμονες, οὐδ' ὅσοι ξυγγενεῖς, δυσμαθεῖς τε ἅμα καὶ ἀμνήμονες, οὐδένες τούτων μή ποτε μάθωσιν ἀλήθειαν ἀρετῆς εἰς τὸ δυνατὸν, οὐδὲ κακίας. ἅμα γὰρ αὐτὰ ἀνάγκη μανθάνειν, καὶ τὸ ψεῦδος ἅμα καὶ ἀληθὲς τῆς ὅλης οὐσίας μετὰ τριβῆς πάσης καὶ χρόνου πολλοῦ.

dum

dum & ad mores, ita doctos, à natura, facta sit, vel corrupta sint morum primordia, eos neque Lynceus videre fecerit, qui eiusmodi sint. Vt enim vno verbo dicam, neque docilitas, neque memoria, vnquam fecerit eum videre, qui naturam negotio cognatam affinemq́ non habeat. Omnino enim in alienam indolem non inseritur. Igitur quicunque iustis & cæteris quæ honesta sunt, non agnati sunt & cognati, etiamsi alij ad alia sint dociles, & aliorum benè memores, nec quicunque cognati, verum cum indociles, tum obliuiosi, nulli horum vnquam veritatem virtutis, quantum satis est, neque vitij didicerint. Necessarium est enim ea simul discere, simul & falsum & verum totius rei omnibus exercendi modis, beneq́ longo tempore. Hactenus Plato. Atque hoc est, quod supra diximus, vtramq; naturæ præstantiam requiri in eo, qui aliquando virtute præstaret. Maximè igitur ex re erit, si quis & hanc & illam adeptus fuerit: neque tamen non ex re, si vtraque non obtigerit, hac esse præditum potius, quàm illa sola absque hac. Etenim in quo acumen, nec ad virtutem impetus, ab hoc sæpe multumque sibi metuat ciuitas, ab altero non solum nihil sibi metuat, sed etiam speret boni, quantum vel ipse intelligat, vel sibi ab aliis persuaderi patiatur. Quod si vero in vno duo illa coalescant, tum demum nascetur illud eximium, quod siue quærimus, siue optamus. Optabilia enim hæc esse, palàm est: dubium, numquis compos eorum factus futurúsne sit. Existimandum vero etiam, disceptationem veræ sententiæ non esse adeo facilem, tum propter opiniones hominum quæ plæræq;

falſæ ſunt: tum propter res humanas, in quibus nihil conſtantiæ, varietas multiplex & perpetua: tum propter ſimilitudinem frequentem veri & falſi, itemque boni & mali: vt aliquando ouum ab ouo facilius ſit diſcernere, quàm falſum à vero, non quidem in euidentibus, certè tamen in multis admodum. Iam igitur de ſententia ſapientum oſtendimus, in natura fundamentum ſiue principium eſſe & doctrinæ & virtutis, & prout cui naturæ bona obtigerint, ita quemque, ſi à pueris, ſi rectè, ſi ordine, ſi ab idoneis magiſtris educetur, ſi ipſe operam & laborem impendat, nec vmquam remittat neruos ingenii, in ſapientiæ virtutiſque poſſeſſionem aliquando peruenturum. Oſtendimus item, ſi dotes animi natiuæ ſatis bonæ ſint, vt eas induſtria noſtra augeamus, vel conſuetudine & ſtudio emendemus, quaſique alteram ipſi naturam paremus; ſi eximiæ, vt integras conſeruemus, quæ tamen etiam magis magiſque augeantur.

CAP. XXII.

Quæ & qualis educatio requiratur.

NAturam ſequitur exercitatio, ſiue potius natura deſiderat exercitationem. Nam quis ignorat abſque hac in nullo genere habitum acquiri, ac ne quidem in arte quamuis facili & vili? Ab exercitatione & artis & virtutis initium eſt: in eâdem vtramque ſemper verti cernimus. „Exercet ſe in fidibus tiro, nec minus id agit ar„tifex; ille, vt diſcat, hic, tùm ne quid amittat ar„tis, quod omiſſione fiat, tùm vt ſeſe ipſe in arte perfi-

perficiat & ſuperet. Ad hunc modum qui iuſtas actiones colit iuſtus euadit, vt ab iniuſtè factis abhorreat, iuſta apud animum agitet, iuſta cupidè deſignet, & iuſta denique faciat, non minus facile, quàm, quô velit, pedibus eat. Ab hac iuſta faciendi conſuetudine neque Ariſtides declinauit, quod præ omnibus ſumma animi contentione, vt quis iudicaret, ſe in hac exerceret: quod multi arduum putarent, hoc ipſi nihil erat facilius; difficillimum fuiſſet ſecus facere, quin potius mortem oppetiuiſſet, quàm iniuſtè ageret, quod alii item viri boni fecerunt & faciunt. Eadem ratio eſt in temperantia & cæteris virtutibus. Nec tamen vis exercitationis vllibi magis apparet, quàm in prudentia. Rectis namque conſiliis paratur, iiſdem cuſtoditur, iiſdem augetur, perficitur, quanta in quemq; poteſt cadere. Multiplex enim ingeniorum differentia eſt, quemadmodum & corporum. Namque & in puero vires, & in ſene eſſe dicuntur, ſed ſecus, quàm in iuuene & in viro. Pueri prudentia non eſt, quæ neque in adoleſcentem cadit; viros & ſenes prudentes dicimus: ſed quorum eſt prudentia, in alijs obſcurior eſt, in aliis illuſtrior, prout natura præſtantior, vel vſus maior, & hic in negotiis grauioribus. Fit exercitatio conſuetudine agendi. Hæc enim propriè in ijs eſt, quæ agimus: ſed hîc nobis obſtantia, & cum re pugnantia prius conſideremus. Omittere enim oportet, quę rei aduerſantur, quod natis factiſque ad virtutem facilius: quas natura alicubi neglexit, iis plus in hoc operę ponendum & tranſeun-

dum potius ad contrarium extremum, vt ad medium, id est, ad ipsam virtutem, aut proximè ipsam veniamus. Magno erat animo, sed prorsus iracundo Achilles, quem Phœnix & Chiron de omnibus docuerint, vt de prӕstantia & fide vtriusque sentire liceat. Prædicatur autem Achillis erga educatores pietas: dicto audiens esse voluerit: nec acres tamen iræ impetus correxit: aut non potuerit, aut ad ingenium rediit. Sunt enim in natura interdum vitiorum fibræ, quæ euelli nequeant: aliæ non nisi perpetuo studio, longo tempore: in quo nonnihil boni: sin opera luditur, ipsa tamen, quæ cuique aduersus naturæ prauitatem lucta est, & per se laudem meretur, nec omnis expers victorię iudicabitur, siquidem palmæ species est, non totum se hosti dedere, vt nec Achilles, quem sub persona Mineruæ à calido consilio retraxit aliquando ratio, vt eum educatio cum in cæteris multum, tum in hoc aliquid iuuisse videri potuerit. Hanc desuetudinem, vt sic loquar, præcedere omnino oportet: ex animo enim, quem sincera virtute imbuere velis, omnes maculæ prius eluendæ sunt, quoad fieri potest. Deinceps accedat siue succedat statim virtutis siue actionum honestarum exercitatio siue consuetudo. De hac vero videndum, primum, vt recta sit, vt perpetua: deinde, vt à teneris instituatur. Aristoteles hoc magistri sui decretum præ cæteris & nominatim prædicat. Plato vero etiam eam ob caussam alimenti rationem habere iubet, quantillum hoc esse putetur, & cuicuimodi sit. Age, cum viato-

re com-

re comparemus virtutem. Omnino ex illius re- est, vt prima luce adeoq; ſub auroram ſe in viam det: veniet citius, & certius, & multa dum luce, quô conſtituerat. Auroram igitur hanc auream infantiæ, ſiue primæ pueritiæ, nec in noſtris, nec in aliis negligamus: quæ muſis fauere dicitur, eadem mirificè virtuti fauet: quæ ad viam confert, eadem ad opus, vt ille (34) muſarum ſacerdos canit: eſt, vt dixi, prima ætas inſtar auroræ, actio virtutis opus noſtrum. Vt autem viator, ſi in multam lucem aut à ſomno detentus fuerit, aut à comitibus relictus, non idcirco conſilium itineris abiicit, ſed pergit, quô cæperat, vt vel antegreſſos aſſequatur, vel certè tamen, ad quem locum ibant, & ipſe veniat: ita ſi quis incuria aut inſcitia ſuorum, quòd tenella ætas ſibi non valens conſulere tota pendet ab aliis, ſe neglectum animaduertat, ſui deinceps quam poteſt rationem habeat, & bona ſpe certi profectus ducem officij quærat, non ex nulla parte ipſe ſibi magiſter futurus. Meminiſſe hîc inprimis oportet, quæ in media morum diſciplina, de mediocritate, de recta ratione, traduntur: quæ tamen huc non omnia tranſcribimus. Sed exemplo ſit: qui fortis eſſe velit, nec vltro, nec temerè caput periculis obiiciet, nec manum cum amico conſeret. Qui enim hoc faciat, quô non procedat audacię & iniuſtitiæ? alius eſt illius virtutis exercendæ campus, aliæ ſunt rationes. Ita neque temperantiæ ſtudeat qui ſatis plus alimenti ſemper ſumat, qui delicata expetat, qui neq; famem experiatur,

(34) *Heſiodus.* ἠὼς γὰρ προφέρει μὲν ὁδοῦ, προφέρει δὲ καὶ ἔργου.

nec ſitim: ſic propius itur ad intemperantiam. Qui contra ſe ipſum negligat, quicquid ſit obuium ingerat, is valetudini & vitæ iniuriam faciat. Et in his & in omnibus multiplex eſt aberratio, ac proinde facilis & frequens. Sed in viam redire & licet & oportet: etſi hîc pluſculum negotij, vt & in aliis reuera eſt, quæ perperam didicerimus, maior dediſcendi labor: nouus alter, diſcẽdi de integro. Verùm iactura eſt ſuperioris temporis: quod inſtat rectius ponamus, ac deinceps erit minus periculi. Hoc igitur minus malum, ſiue bonum potius ſingulare, eique optabile, qui quod voluerit, adeptus initio non fuerit: nec eſt quod alterius laboris nos pigeat, etſi prius ſiniſtrè ſuſcepti fortè quem pudeat. Quis enim hunc non toleret, ex quo ſibi certos & vberos fructus „poſſit polliceri? Agricolã meſſis fruſtrata fuit! ad „opus ruſticũ redit ordine, etiam tum de prouen„tu dubius: mercator nauẽ frangit! nauigat iterũ, „nec minore cum periculo, cum quantilla ſpe ſarciendi iacturæ? Hæc autem res, omnium maxima eſt: ſed huius laboris omniũ certiſſimus fructus & ſuauiſſimus, nec inferior ſalute noſtra, vel, vt clarius dicam, ſua vnicuique ſalus. Vt autẽ ſatius eſt, velut è cunis, & rectè exerceri in actionibus dignis homine: ita non minus ex re, in hoc ipſo teneri & eſſe perpetuo: maturius enim veniemus ad opus noſtrum, ſiue in poſſeſſionem virtutis, & omni tempore agemus deinceps quæ noſtræ partes ſunt. Homini enim nato nullum tempus vacuum eſſe ab officio debet, quin agat, quin conſilium capiat, quin meditetur quæ in

rem

rem ſint. Quod ſi tempus aduerſum, aut morbus, aut aliqua calamitas, aut quæcunq; violentia ab hoc curſu nos auerterit, fortaſſe dolebimus, ſed minus, quando ſic culpa vacabimus: ſin incuria noſtra hanc exercitationem interruptam ſentiemus, expergiſcendum eſt, & excutiendus grauis ille veternus ex animo. Turpe eſt non aggredi in tempore quod rectum ſit, ſi per te ſtet; turpiſſimum quod benè ceperis, non ſtatim pertexere; ſed longe turpiſſimum, id in perpetuum abiicere: hoc nimirum eſt, ſcientem & volentem perire. Perit enim, niſi periiſſe iam dicamus, qui virtutem & officium deſerit, nec ſolum omnes fortunas lautiſſimas, ſed etiam hanc lucem, in cuius aſpectu nobis vitam ſtatuimus, deſerere ſatius eſt. In re, vt videtur, ad intelligendum facili, ſed ad agendum, incipientibus, aut nondum confirmatis, multo difficillima, aliquantulum mihi immorari viſum fuit, iuuentutis gratia. Namque hæc adoleſcentibus potiſſimum deſtinamus, ſi qui fortè hoc qualicunq; indicio virtutis ſpatium rectius alacriusq; currant, & ad certam optatamq; metam perueniant, palmaq; parta, ſibi commodam & quietam, patriæ & ciuibus ſalutarem vitam agant.

Cap. XXIII.

Doctrinam ſine virtutis ſtudio neutiquam ſufficere.

SVpereſt de doctrina locus, ad quem conſilio non niſi viam hactenus muniuimus: id eò fecimus, vt magis conſtaret, ad virtutem comparandam, illam quamuis ampliſſimam, abſq; aliis,

ad rem minimum facere, & eos toto cœlo errare, qui ex eius copia se præstantes & re ipsa politicos esse somniant. Sunt enim, qui in hoc mirè sibi placeant, quòd de omnibus, quæcunq; in vitæ hominum rationes incurrant, acutè & copiosè disserant & imperitis facile persuadeant, penes se fontes esse salutis publicæ. Verùm, si de luce subtiliter cæcus disputet, &, vt fiat visio, penitissimè intelligat, nihilo magis ipse videat: quod si fieri non possit, ex eo & aliis eius generis videre liceat, quemadmodum & hoc sese habeat. Si quis in arte musica non exercitatus de sonis, de fidibus, deque omni citharistica disputet, non eò fidibus sciet. Ita fit, vt qui de officio acutissimè disserere putetur, interdum longissimè absit ab officio: etsi qui vir bonus non sit virtutis dignitatem nec intelligere nec oratione satis explicare possit: qui eam penitus intelligat & explicet pro dignitate, non vir bonus esse non posse videatur. Sanè vitiis obsiti sermonem de virtute & mancum & frigidum esse oportet: tamen fit, quod diximus, vt de virtute multa aliquis cognouerit, cuius sit nihilominus expers, vt auarus interdum vel fœnerator de munificentia & humanitate, de parcimonia prodigus, ignauus de factis fortis viri disserat. Prorsus enim non satis est, vel vberrima doctrina de virtute instructum esse, sed huc animi neruos omnes intendere vnumquemq; oportet, vt virtutem possideamus & ea quotidie vtamur. Nam si doctrinæ vis tanta (35) foret, vt sola viros bonos efficeret, non iniuria homines docti summis præmiis cumula-

rentur. Quod ſi (inquit Theognis) Aſclepiadis hoc Deus conceſſiſſet, vt vitiis & peruerſis hominum animis medicinam facerent, mercedem multam magnamq; non iniuria, & laudem inſuper maximam reportarent. Plurimum ſanè tamen iis debetur, qui ingreſſos viam virtutis doctrina adiuuant, aut à virtute non abhorrentes in viam initio ducunt, vt ne illi ſubſiſtant, hi ne aliò ſe moueant. Contrà immeritiſſimo accuſantur, qui auditores peruerſi animi & contrarii ſtudii bonis præceptis & fidelibus monitis, & rectis exemplis nihilo faciunt meliores, quicquid in illis ſit vitii, vel vt capere illa non poſſint, vel quæ capiant, nequiter repudient. Socratem audiebat Alcibiades, vt alii, qui è conſuetudine & moribus magiſtri meliores fiebant, ſed ille non item: nec erat ea culpa Socratis, qui etſi neque hoc profitebatur, tamen nihil in ſe deſiderari patiebatur. Nec erat ingenium Alcibiadis fortè virtuti natum, quamuis acre, animus vero peruerſus, quiduis potius ſpectans, quàm virtutem & ſapientiam, qui ita quoque ad philoſophum acceſſit, vt canis ad Nilum, prorſus vt multi omnibus ſæculis. Cum enim vident reconditiores lit-

(35) *Alludit ad Theognidis verſus philoſophus his verbis,* ἠθικῶν Κ. εἰ μὲν οὖν ἦσαν οἱ λόγοι αὐτάρκεις πρὸς τὸ ποιῆσαι ἐπιεικεῖς, πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους δικαίως ἔφερον, κατὰ τὸν Θέογνιν, καὶ ἔδει ἂν τούτους πορίσασθαι. *Verſus poetæ hi ſunt:*

Εἰ δ' Αἰσκληπιάδαις τοῦτο ἔδωκε θεός,
Ἰᾶσθαι κακότητα καὶ ἀτηρὰς φρένας ἀνδρῶν,
Πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους ἔφερον.

teras

teras nec honores polliceri, nec opes, ne quidem illis delibatis, illico ſe in pedes, & in alia caſtra tranſeunt, non ſemper ſuo bono, ſæpè etiam malo publico. Sic Alcibiades cum ſtultè & ſuperbè abieciſſet diſciplinam Socratis, ſe indies factus deterior, & ipſe periit, & patriæ exitio fuit. Doctrinam igitur in pretio habeamus, & magiſtros virtutis, nobiſque perſuadeamus, quamdiu recte agere velimus, quod velle ſemper & debemus, & præ nobis ferimus, debere vnumquemque, & ipſas meditari animo rationes rectè viuendi, & monumenta ſapientum legere, & non ſolum audire ſapientiores, in quos incidimus: ſed nec amici monitus & verba aſpernari. Venit enim aliquid etiam ſeruo in mentem, quod iuuet & rectum ſit, vt eſt in veteri verſu (36) Græco. Ita vtrumq; aſſequemur, vt in tanta cura viuendi rarius aberremus, & fiamus humaniores, quando neminem ex probis etiam hominibus deſpicimus. Initio autem virtutis cultori non tanta doctrinæ copia, ſed præceptis opus eſt, nec ita multis, & breuibus, ad quæ nos exerceamus: ea ferè eiuſmodi ſunt, vt omnes partes vniuerſæ vitæ regant. Quare & eorum ſententiam latè patere exiſtimandum eſt, in qua inueſtiganda, temporis & operæ deinceps quod ſatis ſit, rectè ponitur. NOSCE TE IPSVM: diuinitus proditum nec quid conciſius: in eo explicando cum ſapientes laborauerint, non nihil tamen relictum fuit minoribus, quod inueſtigarent: ſic de cæteris.

(36) Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

CAP.

Cap. XXIV.

Quanta doctrina ad ciuilem prudentiam opus sit.

SEd quærat aliquis, quid rectè facienti doctrina conferat? an non ipsum facere sufficiat? quô enim verba, si res in promptu sit? Primùm, qui vacet omni vitio nusquam esse creditur, & vnusquisq; in suis minuendis tota vita satis habet negotii, vt in hoc studio negligenti liceat esse nemini: naturâ enim alius iracundior, alius lentior, ignauior alius, alius audacior, alius ad rem attentior, alius rei suæ negligentior, alius asperior, blandior alius: in alio denique est aliud quod abiiciendum sit, aliud desideretur de quo erudiri quemque plurimum referat. Vtrumq; ferè fit magno studio, tempore, ætate, & oratione, quæ ex ipsa ratione petitur. Hæc enim nos adiuuat, non solum in emendandis & delendis, sed etiam in dignoscendis nostris vitiis. Fit enim vt quædam non agnoscamus, multoque minus nostra. Nemo enim non sibi indulget maximè: quod populare quidem, sed capitale malum est, quô plus in eo cauendo diligentiæ adhibendum præcipiunt. At contrà, ad parandam virtutem non parum facit de vnoquoq; dicto factoque sollicitum esse, sibique omnium minimum ignoscere: quin studiosè etiam ea perpendere, in quæ alii inquirendum sibi non arbitrentur, vel quæ etiam rectè facta prædicent. Fortè enim, aut perperàm fecerimus, aut præterierimus aliquid. Quare quo nos magis confirmemus, nobisque certius constemus, exemplis & rationibus nos

instrua-

instruamus, vt rectè faciamus officium, quod omne tum aliis, tum nobis probemus. Alii namq; (nec enim multis curæ sit) fortè non animaduertant, quod nos deprehendamus, si ad Lydium lapidem rationis reuocemus, & quod nos sæpe fugiat, animaduertant iterum alii, nec amici, nec tantum curiosi, sed simul mali, vt vel animum pascant maledicentia, vel quos oderint, iis malum creent, vt sunt sycophantæ qui optimo cuique insidias struunt. Sed hi inuiti hoc in vita boni faciunt, vt pronos ad labendum à vitiis deterreant, quod alio consilio integerrimi quique amici faciunt. Vnde sapienter pronunciabat „(37) Diogenes, quibus salus esset parata, iis obue„nire aut amicos bonos, aut hostes acerrimos, si„ue qui vehementer vrant. Verum illi rogando, „monendo, docendo, etiam obtestando & obiur„gando agunt: hi obtrectandi, & fortunis, hono„ri, vitæ, insidiandi, pessimis artibus. Omnibus igitur de caussis statuemus, bona multaq; doctrina opus esse tum viam vitæ ciuilis ingredientibus, tum multum etiam progressis, & in ipsis fluctibus negotiorum versantibus, quòd tironibus in quocũq; genere facilis est aberratio, quę grauior adhuc in veteranis, quando, quicquid sinistrè agimus, ab omnibus animaduertitur, ab improbis carpitur, ab imperitis in exemplum trahitur. Cogitemus quæso, quàm multiplex sit vsus,

(37) *Hoc refert Plutarchus in extremo libelli, in quo disserit, quomodo adulator ab amico discernendus sit, his verbis:* Διογένης ἔλεγεν, ὅτι μέλλοντι σώζεσθαι δεῖ φίλους ἀγαθοὺς, ἢ διαπύρους ἐχθροὺς ὑπάρχειν.

quanta-

quantaq; doctrinæ necessitas, in prudentia, quæ quia est magistra & prima omnium virtutum moderatrix, eam esse longè eruditissimam oportet, & abundare igne illo Promethei. Huius namque primum munus est, quasi dato signo in latissimo officii campo indicare, ne quid committamus, nisi fortiter, nisi temperanter, nisi iustè. Hoc perfuncta, moderationem etiam omnium humanarum actionum ita suscipit, vt cum eximiis illis virtutibus sint consentaneæ, tum & infelicitatem resq; aduersas, quoad in manu mortalium est, ratione propulset, & commoda ornamentaq; & felicitatem priuatim & publicè comparet & tueatur. In hoc opere maximo multum facit vsus: sed litteræ vsum cum erudiissent antè, promouent & perficiunt, quibus litteris exempla & rationes à sapientibus diligenter consignata sunt. Quod si eorum beneficio vti recusemus, insignis arrogantiæ sit, nec minoris stultitiæ. Non referam, quid in militia agant duces non temerarii, vnde eruant consilia, tùm in cæteris omnibus, tũ in dictis strategematis, in quibus meritò triumphãt: nec de iis dicam qui clauum reipub. rectè quotidiè gubernant; sed de priuata vita. Qui scripta veterum & recentium negligunt, ii nec domesticæ rei prospiciant, nec curam impendant educationi liberorum, quantam qualemque oporteat: quin etiamsi in hoc sint, aut nimia lenitate aut asperitate nimia facilè peccent, nisi & sedulo de singulis cogitent, & alia inuestigent ex aureis illis monumentis. Etiam qui ea neglexerint, aut negligant, quomodo pec-

can-

cantes cum fructu reprehendant aut moneant, rudes de quapiam re doceant, luctu aut quauis miſeria preſſos conſolentur, aut vllum grauis viri priuatum munus rectè obeant? Obſtinatè ſit pertinax, qui neget plurimum ad prudentiam & virtutem conferre litteras: nos neceſſarias eſſe & euiciſſe videmur, & aſſeueramus, ſed ſuo, quem ipſi tribuimus loco: neque ſolum iuuentuti, quod negare nimis putetur barbarum, ſed etiam prudentibus, quod, hoc nomine clari, ipſi iudicarint. Quod ſi qui vulgo prudentes audiunt negent, hoc ipſo teſtatum faciunt, quàm inania ſint conſiliorum & propriæ impudentiæ tintinnabula, & peſtes rerump. niſi refrænentur legibus. Hinc illud in Equitibus, vbi cum (38) Allantopola inſcitiam ſuam nulla re palliaret, reſpondet Demus: ac primum ille: *Mi homo*, inquit, *neque Mu-*

(38) *Ariſtophanes*, ἱππεῦσι.

Αλ. Ἀλλ' ὦ 'γάθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι.
Πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.
Δημ. Τουτί σε μόνον ἔβλαψεν, ὅτι καὶ κακὰ κακῶς·
Ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
Ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς, οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους.
Ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν.

Muſicæ autem nomine olim liberales artes indicabant. Sic loquebantur Pythagorei, cum philoſophiam intelligerent, vt ex Timæo Locro apparet. Quod enim VII. πολ. Plato ait, τὴν μουσικὴν εἶναι ἀντίστροφον γυμναστικῆς, *hoc eſt, muſicam reſpondere gymnaſticæ; quid eum aliud velle putabimus, niſi hoc, quod in corpore agit gymnaſtice, id in animo muſicam? philoſophiam videlicet. Huius enim propriè illa vis eſt.*

ſicam

ſicam noui, niſi tantùm litteras, & eas quidem malus malè. Atque ibi Demus. *Id ſolum tibi obſtat, quod malas malè*: ac ſi imperium affectanti neq; malas, ac ne quidem eas malas malè didiciſſe, magis expediat: *Nec enim populi res curare eſt Muſici*, hoc eſt, liberali doctrina eruditi viri, *neque probis moribus expoliti: ſed vacuus à doctrina & peruerſus adſciſcendus eſt.* Quid malint autem turbatores quietis publicæ, quàm nihil fieri reliquum bonæ & elegantis doctrinæ, vt ipſi optimum quemq; opprimant, & ex libidine ſua moderentur & gerant omnia? Tales furiæ altero ab hinc ſæculo imperium quoque commouerant; ſed ſuo & miſeræ plebeculæ, quam in fraudem nequiter induxerant, maximo malo & exitio denique. Ac noſtra ætate in littore Baltico ad Varnum ſimile exemplum vidimus. Ei generi obuiam eundum eſt, non ſolum exortis, ne graſſentur, ſed omnino ne exoriantur. Non orientur autem, vbi noſtra ſententia, pro qua nunc loquimur, valebit. Audias tamen, qui nihilominus pro tam inepta abſurdaq; opinione pugnent. Aiunt enim inter doctos homines reperiri, qui in vita communi nihil intelligant, nedum aliquid auxilii rebus communibus adferant. Facile autem deprehendi illorum error poteſt. Aut enim illud eſt aliud doctorum genus, qui nobiliorem diſciplinam, cœleſtique quàm humanæ vitæ accommodatiorem, ſecuti ſint, noſtram iudicio non coluerint, cui ſe natos eſſe non ſenſerint; aut ſunt doctorum laruę, quas illi ſtultè admodum ob arrogantiam & impudentiam in pretio habent. Verum eos nihil mo-

rati, quod vnum ſupereſt, doctrinæ vias indicabimus.

CAP. XXV.

Quomodo ea comparetur, & primò quid ad illam conferat opt. Poetarum lectio.

VBerrima quidem illa eſt, & vniuſmodi, ſed viæ ad eam, ni fallor, plures. Ad eundem enim ſcopum perueniemus, vel per poëtas, vel per hiſtoriam, vel per philologiam, vel per philoſophiam, vel per aliquas earum, vel per eas omnes vias: licet enim ingenioſo & patienti laboris etiam omnes ingredi, vel vnam atque alteram. Nec ſolum eodem tendunt, ſi quis tamen hoc probè intelligat, ſed earum omnium mira eſt affinitas, & tanta cognatio, vt qui quamuis omnium teneat, de omnibus, vel certè de pleriſque, aliquid perceperit, ſaltem vt, ſi non ipſarum ſciens, non ineruditus tamen cenſeri debeat. Poteſt, qui amplius non auſit, poſſitúe ſibi ſumere, vnam earum, rectâ progreſſus, venire quô velit, ſiue quô nos ipſum ire iubemus. Non quidem aliqua earum deuia eſt, ſed præ cæteris regia & princeps philoſophia. Sed cum videam, quod ego ſequor, id facile ab iis oppugnari poſſe, qui hæc ipſa non ab omni parte ſubtilia ſubtilius perſequenda arbitrentur, in quo ipſe nihil nimium fieri debere ſentio, quòd pro materia inſtituenda eſt omnis tractatio; lector ita exiſtimet, me nec ideam politices quæſiuiſſe, nec in hac abſolutam perfectionem affectandam iudicare, & hæc initio ad adole-

dolescentiæ captum accommodato stylo conscripsisse, etsi nunc paullò prodeunt limatiora. Mihi quoque philosophia est Oceanus ille: ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, vt poëta ait, siue fons ille perennis, è quo promanant hi quoque limpidi & salubres riuuli politices; id quod porro declarabimus. Primi enim poëtæ, an non philosophabantur? vel, vt verius nec impropriè dicam, prisci sapientes condebant versibus præcepta sapientiæ, & orationem pingebant gratissimis coloribus. Sic quæcunque prodidissent, ea & omnes oblectarent maximè, & in animos influerent facillimè, & in animis hærerent tenacissimè. Nec obstat, quòd pleraque obscura vulgo, vtpote inuoluta fabulis, siue demus meras esse fabulas. Etenim inde tamẽ adepti intelliguntur, quòd inueniant & fingant poëtę. In poëmatis enim sunt; non quæ ita gesta sint, sed quæ fortè gesta sint, vel geri potuerint. Omninò tamen omnes vitæ humanæ rationes & verę & falsæ ex poëtis peti possunt. Itaque rectæ vitæ ratio non ex omnibus petitur: etsi eam non ex poëtis videamur interdum promittere. Nec omnes quasi ex hoc aurifero fluuio ramenta siue arenas auri colligant: non omnis fluit lympidus, sed & cœnosus alicubi, & algam inutilem eiicit. Neque tamen non aurum & gemmas maximi pretij ex poëtis nobis licet legere. Primum tamen eos remoueamus, qui nihil præter amores & conuiuia canunt: nec enim sint magistri temperantiæ, qui libidinẽ irritent, & ad comessationes pelliciant: alios item,

qui impurè ſcurrantur, & quibuslibet, etiam optimis, quibus gratia ſatis à nemine referri poterat, conuicium faciunt, qui erat veteris comœdiæ morbus, vt quaſi libellis famoſis ſcaterent. Nam qui inſectantur & improbos & vitia etiam erudiunt ciues & adiuuant remp: nec enim eos aliena docere arbitrabimur, qui poëticen aiunt eſſe aliquod inſtrumentum politicæ, quoniam in comœdiis & tragœdiis & in ſatyris deteguntur vitia, eorúmque deteſtabilis deformitas ante oculos ponitur, atque ita emendari mores ciuitatis credibile eſt, quando flagitia & ſcelera deteſtari incipit. Quod enim quis in alio deteſtatur, id non ſolum ſibi maximè fugiendum exiſtimat, ſed ab eo quoque ſuos omni ſtudio arcet longiſſimè. Neque tamen non intelligo, hæc in contrarium poſſe diſputari, & Solonem, qui primus Athenis, confectus iam ſenio, vidit comœdias, ſcio hanc rationem grauiter & tum quoque verè reprehendiſſe: erat enim prima comœdia petulantior, nec arte & legibus correcta, quæ nihil fœdum tegeret, ſcurrilitate riſus captaret, optimo cuique malediceret. Nos autem etiam poëticen quodammodo politicæ magiſtram facimus: iis enim poëtis locum in ciuitate damus, qui vitæ humanæ rationes aperiunt & vitam vel aliquas eius partes bonis præceptis & idoneis exemplis erudiunt: Politicum enim, nec rerum quæ geruntur ignarum, & rectæ vitæ ſtudioſum eſſe oportere, pridem demonſtrauimus. Dicam diſertius de vno atque altero, vt appareat plus eſſe in poëtis, quàm vulgus exiſtimat, nec nugas

ſiue

ſiue fabellas, aut ſales meros. Rem ruſticam docet Heſiodus, & præ ſe fert, & liquet, ſed idem docet iuſtitiam atque laborem. *Opus fac*, inquit, *& ſic exiſtima, patrimonij partem, quæ tibi debetur, pro fore plurimum: ita videlicet dimidium plus toto eſt: ſin mihi meam eripies, aut non reſtitues, vtramque luxu perdes & ipſe vna peribis.* Nec vnius iuſtitiæ, ſed omnis magiſter eſt, id eſt virtutum quoque cæterarum, ſiquidem has illa in ſeſe virtutes omnes continet. Omnia ibi aurea, ſed in cæteris hoc: ſudore circumſeptas virtutes decreto quaſique manu ſuperûm, nec eas noſtrum aliquem adepturum, niſi conetur, niſi laboret, niſi deſudet. Notiſſima enim ſunt hæc: Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα. Sed idem (39) quo loco iubet benefacere relaturo gratiam, aliquid conferre vetat in alterum, qui nihil contra largiatur; non iubet diuitem eſſe ſordidum, ſed tenui præcipit parſimoniam: inter tenues enim ſic viuitur, nec poteſt aliter, quàm vt mutua ſint ipſorum hæc in amicitia. In malos autem & ingratos ne reges quidem rectè beneficia conferant. Exemplum protuli, vt intelligatur, laborantibus poëtis idonea interpretatione ſubueniendum eſſe. Interpres, de cuius officio paullò poſt iterum agemus, non ſolum qui poëtam intelligat, ſed ſæpè ipſo poëta doctior aliquis adhibendus eſt, qui bonam illius mentem, ſed obſcuram videat, ſiue eruat, & illuſtret aliis: ſin mala ſiue abſurda ſit, quod alicubi, nec raro fit, refutet & repudiet, proferat meliora, vel ex eo-

(39) Καὶ δόμεν, ὅσκεν δῶ, καὶ μὴ δόμεν ὅσκεν μὴ δῶ·
Δώτῃ μέν τις ἔδωκεν, ἀδώτῃ οὔτις ἔδωκεν.

dem ipſo, vel ex alio, vel è theſauris ſapientiæ. Vſi aliquamdiu eiuſmodi diuino interprete deniq; ipſi nobis pro magiſtris erimus, deguſtata pluſculum cœleſti poëtices ambroſia. Idem de Horatio affirmem, hunc eſſe virtutis præconē, & minimè popularem informatorem animi. Nullam ille partem relinquit, plæraſque egregie illuſtrat, & vbi à ſe diſcedit, & propè tranſit ad caſtra Epicuri, cuius diſciplinam initio amplexus fuerat: ſed & hæc & eiuſmodi alia, partim commodè interpretari poſſumus, partim reiicere debemus. Relinquo cæteros: de principe poëtarum paucis dicere neceſſe eſt. Nec verò nunc vtemur conſilio Platonis, qui quem ob artis diuinitatem mirificè celebraſſet, tamen ne quid ex eius lectione veneni per inſcitiam haurirent ciues, vnguentis delibutum coronatumque è ciuitate ſua dimittendum cenſuit, ſed quæ eum cauſſæ mouerunt, eas ſedulo amoliri conabimur. An enim nō permittat nobis, vt ſic vtamur Homero, quemadmodum ipſe paſſim vſus fuit, non ſolum ad orationem mirificè expoliendam, ſed etiam ad docendum? Nec vero ex eo ieiuna paſſim docet, aut vulgaria, ſed de maximis virtutibus & de regiis officiis. Monſtrat multis in locis, vt ea omnia ex illo ipſo hauriamus quæ ad benè dicendum recteque viuendum pertinent: nec ſine cauſſa veteres ita ſentiebant, Homerum eſſe magiſtrum virtutis, nec falsò nominabat Alexander Iliada viaticum imperatoriæ. Sentiebat enim, ſe non magis carere poſſe conſiliis, quæ etſi ille nuſquā pollicetur, tamen præſtat eorum vbiq; copiam, quan-

quantam quis haurire valeat, quàm commeatu careat exercitus: nos verò ex eodem omnem rectæ vitæ rationem quoque petemus, quod nisi rectè fieri sapientissimi homines Græci & Romani ex re ipsa vidissent, non profectò tot sæculis filios suos Homerum discere iussissent & ediscere. Primum autem non omnia ingenia sunt capacia subtilium doctrinarũ, cuiusmodi plærasque pollicetur philosophia, vt inferiores quoq; docendi viæ nullis sæculis fuerint repudiatæ. immò excogitatæ plures, vt qui vna alteráue nõ possent, saltem aliqua erudirentur: deinde nõ nisi multis sæculis perfecta fuit philosophia apud Græcos homines, ac ne fortè quidem apud plærasque alias gentes: quin exstitere, qui quę cognita ipsi haberent cum quibusuis communicanda nõ censuerunt. Cum enim aliquæ doctrinæ fortè non magno negotio discerentur, eas in prophanos, quibus nihil profuturas sed ab iis contemptum iri sciebant, diuulgandas nõ putarunt. Hinc litteris hieroglyphicis, hinc symbolis inter suos vtebantur, hinc numeris secretiora obscurabant, hinc multa fabulis inuoluebant. In fabulis autem nõ omnem operam ponere quemquam iubemus, quod fortè superuacaneum foret, aut fructus labori temporique non satis responderet, quæ impendi oportere quis rectius & vtilius posse diceret, sed aliquam tamen, eamq; ad vitæ rationes magnopere profuturam. Atque, ne poëtam relinquamus, eius interpretem nudum grammaticum esse non velimus: nec enim ad Homerum, aut quemuis poëtarum explicandum suffi-

cere arbitrabimur, vt vel fabellæ referantur, ad quas alluditur, vel ostendatur, quæ prisca, quæ peregrina, quæ translata sint, & eorum vis declaretur; maius aliquid præterea in opt. interprete requirimus. Etenim & res ipsas enucleabit, quarum sciẽtia grammatici nulla est, si propriè loquamur, sed permagna boni educatoris pueritiæ, quem non habere nihil politici necesse est. Nec leuiter igitur tinctum litteris talem magistrum oportet, sed in bonis disciplinis saltem mediocriter, vel aliquanto amplius esse versatum, nec longe abesse ab ipsa philosophia, quam qui ad hoc munus adferat, hic demum dextrè omni hoc non vilis hominis officio fungi possit: quod nemo dubitabit, qui eius legendi discendíue hanc solam siue potissimam rationem rectam & ex vsu esse intelliget. Homerum igitur commodè alius non interpretabitur: id quod omnium optimè, & quidem hoc modo, præstitisse Aristotelem credibile est. Nec enim ex eo nugas aut gerras Siculas docebat magnum disciplinæ suæ alumnum. Hoc fuit caussæ, quod in eodem multum operę posuerunt homines quiq; doctissimi, præter Aristotelem ipse Plato, Plutarchus, Dion Chrysostomus, Athenæus, Strabo, etsi aliquando aliud alij spectarunt. Sed in cæteris omnibus, quæ ad munus interpretis pertinent, hoc potissimum est, vt cum apud poëtas sint quæ turpiter & iniustè gerantur, monstret & ab iis auditorem deterreat: quæ rectè & laudabiliter, ostendat & inculcet sedulò. Multa enim videntur inuitare ad ea quæ in procliui sunt & ad homi-

mi-

minum libidinem facta. Hoc illustri vno exemplo clarum faciam; heroum erat laudatissimus Achilles omnium in plærisq;, si minus in omnibus, si poëtæ credimus, qui in hoc vno exornando insumpsit quicquid habuit artis & ingenii. Itaque est in ore & admiratione omnium: etiam suis factis ad simillima optimam quamq; indolem inuitat. Fortè iracundus aliquis se Achilleum hoc habere arbitretur: canit enim poëta iram Pelidæ: & ipse Achilles profitetur hunc animum suum,

(40) *Corq; mihi,* inquit, *penitus turgescit tristibus iris,*
Cum decore atq; omni me orbatum laude recordor.

Et verò grauem irascendi caussam iustamque se habere autumat. Hic igitur interpretem, & probum lectorem (hic enim nisi planè puer sit, interpres interdum esse sibi ipse debet & potest, vel eruditiorem, vbi valdè hæreat, consulere) sapere oportet, & è sapientiæ decretis longè alia depromere, & ipsum Homerum pernouisse. Hic enim ipse iudicium suum sæpè interponit, & vt magister virtutis non solum sapientum sententias exponit. Statim enim subiungit initio, nihil hac via extitisse exitiosus, (41)

(40) *Ita reddidit Cicero ex* Λ. I. *hos versus:*
Ἀλλά μοι οἶδ᾽ ἀνέτων κραδίη χόλῳ, ὁππότ᾽ ἐκείνου
Μνήσομαι, ὅς μ᾽ ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν
Ἀτρείδης, ὡσεί τιν᾽ ἀτίμητον μετανάστην.

(41) *Statim initio.* μῆνιν·
Οὐλομένην, ἣ μυρί᾽ Ἀχαιοῖς ἄλγε᾽ ἔθηκεν,
Πολλὰς δ᾽ ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν Ἀνδρῶν ἡρώων.

Quæ malè tristifico luctu cruciarit Achiuos,
Heroumq́; animas multas demiſerit Orco,
Eximias.

In ſenatu autem regis quid Neſtor? (42) Ordinum, inquit, legum, rei familiaris conturbator eſt, quisquis ſeditionem mouet. Vlyſſes item in legatione, qua ab Agamemnone & ſenatu Græcorum vnâ cum Aiace ad Achillem fungebatur, hoc ſibi non ſumit ipſe, vt obiurget aut doceat Achillem, ſed Pelei ei orationem refert, qua filium diſcedentem à ſe de re neceſſaria, de moderatione animi videlicet, paternè admonet, docens, res magnas non geri in graui perturbatione animi, ſed in vita humanitate opus eſſe & beneuolentia, atq; hiſce præditos maximè coli & prædicari ab hominibus. *Mi fili*, inquit, *Mineruæ & Iuno tibi vires ſuppeditabunt, ſi videatur: at tu animi magnitudinem coerce. Etenim nihil præſtantius eſt beneuolentia: contentiones miſſas facere oportet, quibus videlicet nihil non ineſt mali: ſic futurum eſt, vt non ſolum populus, ſed etiam principes Græcorum te in oculis gerant.* Dehinc Vlyſſes monet, ne præcepti paterni obliuiſcatur, vt facere viſus fuerit, ſed etiam nūc iraſci deſinat, & compeſcat iram, qua ſuum quoque ipſius animum cruciet. Ad Neſtorem, Pelea, Vlyſſem, accedit & Phœnix, qui ad eandem animi moderationem etiam ipſe alumnum cohortatur, aſſerens ipſos etiam Deos precibus flecti & victimis: & vt plenius demonſtret, quan-

(42) Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος. Α. Ι. *è quo libro quoq; petet lector reliqua, quæ ineptè omnia adſcriberem, cum multa ſint, & in promptu omnibus.*

tum

cum ſit in ira mali, noua & erudita fabula de Ate & Litis orationem condit, quam hîc explicare non alienum, ſed longius foret. Exemplo indicare volui, vt ex incommodis, quæ in poëtis crebriora paſſim occurrunt, ſingulares etiam fructus capiamus. Rationem autem exponere poetas cum potiſſimo fructu legendi alterius eſt & maioris operæ. Eam ſapientiſſimi ſcriptores paſſim obiter oſtenderunt: ſed Plutarchus, quo libro id ſolum profitetur, præclarè: nec notæ ſunt ad poëtas pulcriores & meliores, quàm quæ nobis huius generis ſapientiam eruant, & diligenter declarent. Atq; hæc de poëtica, ſiue hæc philoſophia eſt, quod videri poſſit, ſiue pro philoſophia, quod facilè damus vt verum.

Cap. XXVI.

Quam neceſſaria ad ciuilem facultatem hiſtoria ſit.

Hiſtoria verò philoſophiæ partes magnificè gerit, nec accommodatior via eſt regum liberis, adeoq; ipſis regibus ad omnem virtutem regiā ſiue diſciplinam ciuilem percipiēdam, hodiè præſertim, quando illi non attingunt Græcas litteras, cōtenti Latinis, quas certè plæriq; deguſtant: nec ego principum alicui auctor ſim, niſi id cupidè velit ingenioſiſſimus aliquis, vt in alienis linguis tempus terat ſiue amittat, non facturus magnum operæ pretium, ad arcem politicæ properato opus eſſe intelligēs, ad res domi & militiæ gerendas: ſed hominibus eruditis nō minus vna, quàm altera opus eſt. Non cumulabo hîc, quæ ad hiſtoriæ commendationem faciunt, quibus audi-

auditores ad illius lectionem accendi putem. Proinde neque dicam de voluptate, quam varietas & inexſpectati rerum euentus in animis lectorum generant, ſed quod ad noſtrum negotium pertinet perſequar, quemadmodum & quantopere nos hiſtoria ciuili prudentia erudiat. Relinquam & hoc, poëtæne hîc plus, an rerum geſtarum ſcriptores valeant: vnum dicam, nihil eſſe in rebus humanis, quin idem ſit in hiſtoria, etſi plæraque habent & poëtæ. Ex hiſtoria cognoſcimus de pace, de bello, de otio, de ſeditione, de induciis, de fœderibus, de pactorum violatione, de odio & beneuolentia, de amicitiis & inimicitiis, de dolis & ſimplicitate, de calumniis & conuitiis, de rectis ſententiis & benè dictis, de barbarie & humanitate, de crudelitate & æquitate, denique de omnis generis bonis & malis, & iis rebus omnibus, bonorum ſcriptorum mirifica opera non ſolum verè & diſertè, ſed etiam eo iudicio & tali cenſura explicatis, vt qui non ſupinè illa legat ſtatim animaduertat, quæ iniuſta, turpia, & deteſtanda, quæ iuſta, honeſta, & æmulanda ſint: immò illa lecta & relecta & bona cura conſiderata relinquunt in animis aculeum, vt ſceleratos & facinoroſos execrati virtute præſtantes & benè de aliis meritos admirati, cum deteſtemur ſcelera, tùm ad virtutem accēdamur. Hinc enim odium & fuga turpium, æmulatio acris maximarum virtutum naſcitur, & iam ea animi æquitas, vt viciſſitudine perpetua rerum humanarum deprehenſa, præſentia mediocria non aſpernemur, ſed æqui boniq́ue facia-

faciamus, ad diuitiarum & potentiæ immensitatem minus aspiremus, duris casibus non penitus frangamur, optima consilia, vel recta certè, capiamus, euentum etiam in alteram partem intrepidè exspectemus. Idcirco historia, quemadmodum, quòd pænè omnium sæculorum, & omnium gentium res gestas nostris oculis subiicit, lux temporis, ita & magistra vitæ dicta fuit: equidem & animi informatrix & mater consiliorum dici meretur. Minus hîc metuendum est, ne nos historia prauis exemplis in errorẽ inducat, quoniam optimus quisque historiarum scriptor, vel dicto, vel verbo notat, quid probum, quid improbum sit, quædam etiam per se elucescunt absque indicis opera, quàm diuina vel tætra sint. Quis enim non videt immanitatem Astyagis patri filium epulandum apponentis? Quis non intelligit Cambysis, Neronis, similium tyrannorum crudelitatem? quis non item perpetuam Cyri & Traiani in omnibus bonitatem? Quædam nemini non obuia sunt: sed acriores quique & rerum peritiores plura cernunt & vsibus suis felicius accommodant. Rectum etiam est, vt eos præ aliis cognoscamus, è quibus plus vtilitatis accepturi videamur: ac ne quis dubitet, qui in primis habendi sint, ita bellum Peloponesiacum condidit Thucydides, vt potius politicum informare videatur, nec falsò quis dixerit, minus in iis libris historiæ esse, quàm doctrinæ; doctrinæ verò, quantum ad ciuilem prudentiam, certè quod conducat plurimum. Qui Thucydidem legit, habet, cur pergat: habet, cur subsistat. Quis

enim

enim in vno fortè alterove orationis ambitu nō moram faciat, vt in tabulæ angulo quam ingenio & penicillo Apelles absoluerit? quis item eiusmodi tabulam non perlustret omnem? Polybius autē, vt si medicus te in mensa doceat, quid è quoquo cibo boni succi accipias, ita sedulò quid ex quaque historiæ parte tibi fructuum decerpas docet, & interdum ostendit, quę ingeniosissimo lectori in mentem vix veniant: non dicam de iis, quæ de rep. disputat, singulari cura deprompta è scriniis sapientiæ. Eius igitur potissimæ partis historiæ amissione, magnam iacturam fecit historia, nec minorem ipsa politice. Plutarchus vitas scripsit principum Græciæ & populi Romani inter se comparatas, quæ sunt plures diuersorum temporum & gentium historiæ, etsi ad singulorum res gestas ipsi respiciendum fuit. Hîc verò scriptor grauissimus, tùm in aliis libris hoc agit sedulè, vt lectorem neutiquam à consiliis inanem, sed semper meliorem etiam dimittat, tùm in his ipsis in id potissimum, ni fallor, incubuit, vt cuiusq; mores & animum informaret & prudentiæ ciuilis opes in nos transfunderet. Discendus igitur videtur cum omnibus aliis, & prę multis aliis. Xenophontem porrò considerabimus, nec vno modo. De eius enim historiis, & Cyri pædia dicemus, sed de Cyro Xenophontis prius, non solum quid mihi, sed etiam quid eximiis censoribus videatur. Eum ego cum altera Polycleti regula conferam, statua videlicet absoluta, in qua ad vnguem præcepta à se de arte tradita expresserat. Dionysius igitur Halicarnasseus non

abs re

abs re Cyri inſtitutionem imaginem boni & beati regis nominat. Ferè idem antè ſcripſerat M. Tullius ad Quinctum fratrē. *Cyrus ille*, inquit, *à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperii, cuius ſumma grauitas ab illo philoſopho cum ſingulari comitate coniuncta eſt: quos equidem libros non ſine cauſſa noſter ille Africanus de manibus nunquam deponere ſolebat. Nullum enim eſt prætermiſſum in iis officium diligentis & moderati imperii: eaque ſi ſic coluit ille, qui priuatus futurus nunquam fuit, quo nam modo retinenda ſunt iis, quibus imperium datum eſt, vt redderent, & ab iis datum eſt legibus, ad quas reuertendum eſt*? Hactenus Cicero. Sed idem ille Xenophon cum res Græcas ſcripſerit & expeditionem Græcorum in Aſiam, magno noſtro fructu vtroſque commentarios legemus, quod diſertè affirmat & multis verbis Dion Chryſoſtomus in libello de exercitatione dicendi, affirmans eos perutiles eſſe nō ſolum oratori gregario, ſed principi in rep. qui vt ciuili dignitate ornatus, ſeu vt loquitur, vir regius ad dicendum ſit acceſſurus. De his nominatim dixiſſe ſatis ſit, quorum ſimiles ſunt aliqui Latinorum, & in cæteris Liuius, Saluſtius, Tacitus. Qui in illis verſatus ſit, facilè videbit, quid ſperet aut petat ex aliis, quid in aliis deſideretur. Sunt enim, qui non ſatis digna relatu & memoria infarciant; qui prætereant, quibus explicatis maximè opus ſit; qui nō ſatis bona fide omnia explicent, vel propter inſcitiam, vel propter imperitiam, vel propter affectum; qui inquinatè loquantur, qui perplexè ſcribant; qui nimis nudè narrent omnia: ex quibus tamen ſucci aliquid

acci-

accipiet non nouitius, ſed prudens lector. Non enim ob horridulam dictionem à legendo prorſus abſtinebit, ſuperuacanea remouebit, omiſſa aliunde petet, perperam narrata aliunde corriget, quæ nudis verbis expoſita ſunt, quibus conſiliis agitata, & quæ cauſſæ euentuum fuerint, non ſemper ille falsò diuinabit, ſcriptoris cenſuræ prauitatem interdum corriget. Magni hoc eſſe ingenii fateor; ſed regum filii magno ingenio ſunt vtplurimum à natura. Fieri quoque non nego, vt quantum ad hoc ſtudium temporis requiritur, per occupationes publicas regibus non ſuperſit. Hic alius auctor ſit, vt qui dies aleæ, & comeſſationibus, & alienis venationibus tribuuntur, conferantur in hiſtoriam, aut aliam vtilem lectionem. Eſt aliud quod regum filios & reges ipſos hac in re adiuuet: conſuetudo vnius & alterius docti hominis, nec obiter in hiſtoria verſati, & vitæ humanæ benè itidem periti. In viris enim doctis habebimus, non qui quæ legerit, meminerit ſolum, ſed eorum quoque omniū vſum cum intelligat, tum explicare diſertè poſſit. Sic futurum etiam eſt, quod Græco verſu dicitur, vt reges ſapiant è ſapientum conſuetudine. Id erat olim non rarum, & putabatur eſſe neceſſarium: neque nulli homines doctos in caſtris habebant ſecum, Alexander Macedo, etiam Pyrrhus, Scipio Africanus. Monebo, etſi neminem ferè fugit, ſed breuibus: ad lectionem hiſtoriæ & locorum deſcriptione, & temporum diſtinctione, opus eſſe, ac propterea in illo ſtudio non parum operæ, in hoc aliquid ponendum: vtroq;

hodiè

hodiè nihil facilius, quando & in hoc & in illo laborarunt ingenia. In tempore, die, aut menſe, aut anno falli, iactura nihili eſt: qui, quidquid eſt hîc ſcrupuli conetur id omne exprimere, fortè in nouum errorem inducat & interdum demergat profundius. Orbis autem terræ ſic hodiè perueſtigatus & declaratus eſt, vt adoleſcens labore paruo, periculo nullo, domi deſidens, regna populoſq; omnes facilè peragret: nec verò, qui longo tempore, magno etiam ſumptu & labore, & periculo, longinqua loca terra marique adierit, tantum profecerit, quantum, qui annum vnum alterumúe geographiæ impenderit. Largiar vero & affirmem, qui ingenio præditus, ad hoc, nec iniucundum, ſtudium, diligentiam adferat, paucis menſibus præſtiturum plurimum.

Cap. XXVI.

Quantum conferat philologia.

DE poëtica & hiſtoria diximus, quod ad inſtitutum ſatis ſit: ingrediatur mihi & tertiam viam quis, nec falsò, vt ſpero, nec infeliciter, quã philologiam nominamus. Intelligimus autem non exquiſitas litteras, ſed eruditionem multiplicem mediocrem: eximiam enim pauci ſanè ſibi polliceri fortè poſſint, tùm ob rei difficultatem, tùm ob raritatem huic præſtantiæ ſtudentium. Si enim plures in id incumberent, quod plurimi alii alia de cauſſa relinquunt, plures emergerent: quin mediocritatem, de qua nunc agimus, pauci aſſequuntur. Siue enim abeunt

de cursu ad voluptates, aut ad quæstum, aut ad honores; siue importunitate peruersè iudicantium auertuntur. Pro voluptate verba non facio ea quæ vulgo intelligitur: litteræ non obstant, non dico auaritiæ & ambitioni, quas duas graues pestes vitæ etiam notant, sed non impediunt cogitationem de vitæ necessariis & vera dignitate. Ab hac enim non aberrat, qui in litteris est, hoc est in studio doctrinæ, non segregantis aut repudiantis virtutem: alteri studio litteræ quoque modum & quia consilio nos instruunt, quod pollicentur & præstant, illius etiam rationem ostendunt. Nec omnino fieri potest, vt temperans, moderatus, laboris patiens, modicis contentus, necessariarum rerum egeat. Falsò autem hodiè mortales, quæ ad voluptates, ad luxum, ad splendorem pertinent, in necessariis numerant, quæ abutentium nequitia potius sunt in noxiis: sed quando non cum Argonautis, sed quasi in cariosa huius vitæ naui omnes vnâ vehimur, pauci id possunt animaduertere, vix aliquis mutare in animum inducat. Philologos, qui cum litteris plus quàm mediocriter eruditi sint, & doctrina animum oblectent, tum libenter de rebus bonis disserant & differentes cupidè audiant, cognouerint & ex poëtis & ex historiis non pauca, & plura interdum desiderent cognoscere. Hos equidem non cum inanibus vasis comparem, etiamsi non sint imbuti vniuersa sapientia, quemadmodum non arbitror esse pauperem, qui vt in diem viuere videatur, tamen non egeat, aut certè non

multum requirat præterea. Huic ſuaſerim, vt eam virtutem non aſpernetur, etiamſi perficere omnem nequeat,ſiue etiam gratuler,cui tantum ſuppetat,vt cum aliis de ſuo largiri poſſit,tum interdum ſua mirificè augere. Proximè enim acceſſerit, ſiue accedet ad illum ſapientem, quem Græci ſtudioſum ſapientiæ nominant. Vt autem olim ab aliis ſapientes nominabantur, nec ipſe tamen quiſquam id nominis ſibi ſumebat, quod nemo niſi arrogans facturus videretur, vnde Samius Doctor ſe primum ſapientiæ amatoré profeſſus fuit: ita hodiè, quando philoſophi nomen plus ſignificat, quàm verbi natura prodit, nemo ſe philoſophum appellet abſq; arrogantiæ nota: quod etiam cenſuit Themiſtius, eum qui id faciat, à ſapientia longe digredi arbitratus. Accedit, quod quoquò te vertas, paucos admodum inuenias, quibus diuinum illud philoſophi nomen competat. Tum autem videtur imminui, quando rerum naturalium indagatoribus tantum tribuitur, non, quia hæ non ſint partes philoſophi,ſed quia etiam aliæ,ipſæque,partim ſubtiliores, partim ad vitæ cultum grauiores. Philoſophus enim & naturam tranſcendit, & ſecreta rerum à ſenſibus remotiſſimarum penetrat, nec etiam relinquit hanc partem, quæ ad vitam benè beateque degendam pertinet, politici propriam. Fieri autem non poteſt, vt hanc viam ingrediamur infeliciter. Etiamſi enim, quod perfectionis ſiue primum eſt non aſſequamur: tamen in ſecundis etiam conſiſtere quis cum laude & cum fructu poteſt, tam ſuo, quàm publico.

Qui enim ipſam arcem ſapientiæ tenere nequeat, eum ex illius theſauris multa, vel quantum opus eſt, in vſus quotidianos & ſibi & aliis accipere, magnum videtur eſſe & beatum. Fortè etiam quis nec abſque cauſſa contendat, ſi hic non ſit in ipſo illius faſtigio conſtitutus, quod aut nemini aut paucis admodum contigerit, excluſum tamen ex auguſtiſſimo illius templo non videri. Dixi de Stagirita, vt alumnum ſuum docuerit Iliada, non malorum, vt eſt in prouerbio, ſed bonorum. Nec verò non niſi poëtam ſiue ſolos poëtas in manibus habuiſſe ſententiam: haud dubiè & ex hominum memoria, tùm recenti, & ex antiquitate deprompſit item multa, qui omnem hiſtoriam admirabili ſua memoria comprehenderat & in numerato habebat ſingula. Solebat etiam cum hoc auditore ſuo in vtramque partem de variis magniſque rebus diſſerere, & eum ad hoc ſtudium prorſus aſſuefecerat. Contentione enim cauſſarum ſiue rationum, quæ in medium adferuntur, ſiue ipſum verum, ſiue vero conſentaneum inueniat facile veritatis amans, idem modò toto animo ad rectè agendum propendeat. Quid attinet recenſere boni nominis politicos, quos pænè ad vnũ omnes ſic ad remp. eruditos fuiſſe dixerim? de plæriſq; dubium non eſt. Neque verò hæc iis aduerſantur, quæ antè tradidimus: quin indicatum fuit, pluribus viis hoc iter ingenii, nec tamen contrariis, nec multum diuerſis, rectè poſſe confici. Quare nos eodem exemplo, ex poëtis ſi nõ omnia, multa diſcemus: ſi item non omnes hiſtorias, multa ex hi-

ſtoriis:

ſtoriis: legemus alios bonos ſcriptores,oratores non minus: de multis & neceſſariis rebus quotidiè conferemus cum eruditis & peritis hominibus: nec parum nos adiuuabunt, quæ meminerimus dicta ſapientum, & à præſtantibus enunciata, quæ nominantur apophthegmata: huc quoq; ſententias refero de vita & moribus, ſiue à poëtis, ſiue ab aliis nobis relictas: neque rarò neque negligenter legemus libros Plutarchi, Senecæ, & ſimiles, per quos manant aurei riui ſapientiæ; nec aduerſabor, ſi quis hanc eſſe ipſam ſapientiam aſſerat. Sapientium enim virorum ſunt illa monumenta, ſiue philoſophorum, quod idem eſſe cenſeam.

Cap. XXVII.

Denique quod à Philoſophia tota eius vis ſit.

VLtimum eſt, quod primum, philoſophia ſcilicet, ipſa via regia ad ſalutem priuatam & publicam, magiſtra, & rectrix, & correctrix omnium de quibus ante diximus: abſque hac ſi ſit, reliqua nos facilè in errorem & exitium ducant, vt huius etiam auſpiciis & monitis ſine negotio ducant, quò tendimus. Sed nomen philoſophiæ ſemper inuiſum fuit multitudini, & multis item aliis, quos de populo eſſe non exiſtimes, ſiue propter genus, ſiue propter potentiam, ſiue propter fortunam, ſiue propter opinionem ſapientiæ. Plebs autem ab his pendet, & eorum iudicia habet pro oraculis, præſertim ſi ijdem quibuſcunque aliis litteris pręditi ſint, aut in hominibus doctis habeantur. Nec mirum, cum artifi-

artificum ſit de artibus iudicare: & licet de quibuſdam, vt de pictura, de ſtatua, de ædificio, de muſica, populus interdum non falsò iudicet, tamen aliter & rectius iudicarit pictor, ſtatuarius, architectus, muſicus. Aiunt philoſophos eſſe homines ſolitarios, pallidos, famelicos, abiecti animi, nullius conſilii, etiam infantes, contemptores omnium, contemptos ab omnibus, expoſitos quorumque iniuriis, nec ſibi nec ſuis vſui, qui nec in aciem prodire auſint nec in forum, imperitos rerum humanarum, expertes viuendi elegantiæ, egenos omnium, nec intelligentes honorum nec ſtudioſos, ſcientes minutarum nihiliq; artium, curioſos rerum inanium: neq; quis plauſtro eiuſmodi contumeliarum in vnum aceruum conuexerit. In promptu enim eſt maleuolis noua ſubinde conuitia comminiſci. Partim autem eximia & valdè expetenda calumniantur: deinde affingunt iis alia, quæ vel in hominum inertiſſimos vel in ſophiſtas quadrent. Nihil aliud agunt inanes illæ nubes Ariſtophanis, quas ille ab Anyto & Melito hoſtibus Socratis precio conductus fecerat, ad explorandum animum populi Athenienſis, quomodo laturus eſſet illorum aduerſus hominem innocentiſſimum accuſationem, quàm vt calumnientur philoſophiam. Hinc in Gorgia Callicles inducitur à Platone, acerrimè inuectus in philoſophos: egit idem Hortenſius in Hortenſio Marci Tullij. Longum erat eos confutare, quod fecerunt Plato & ipſe Tullius: longum item laudes
am-

amplissimas & diuinas philosophiæ complecti, quod nec breui oratione fieri possit: longum etiam recensere philosophos, qui ciuitates condiderint, conditisque leges tulerint, qui resp. rexerint, qui magistratus gesserint, qui ad principatum aut remp. quos educarint, qui nobis reliquerint pręcepta de ciuitate, qui inuenerint, qui auxerint, qui perfecisse videantur: nec plane nihil tamen de plærisque supra dictum fuit, etsi nō explicata omnia: conabor aliquando & vberius & luculentius dicere de philosophiæ laudibus; nec tamen non ipsæ ingeniosis & probè in eius initiis versatis clariores sunt: nec cuiusquam oratione satis illustrari possunt, nedum mea: & expedit coli potius, quod nobis sedulò faciendum censeo, quàm verbis commendari studium sapientiæ. Cum ex hoc libello permulta correxissem, non pauca etiam retexuissem; in hac clausula, quæ est de philosophia, nihil mutaui. Malui enim cœpto labori finē imponere, quàm nouum opus ordiri. Sic enim forte videar. Cum enim per se ardunm sit, hunc locum illustrare, tum hoc tempore plus negotii esset mihi suscipiendum. Interea enim magis se commpuit, quòd ipsa, vt meritum ipsius erat, commoueretur, adulterina quædam disciplina, philosophiæ nomen ementita, de qua paucis verbis dici non potest: moneri tamen iuuentutem expedit, vt aliquos saltem ex illis commentitiis nugis ad studia sapientiæ reuocemus. Accessit alterum, quòd in philosophiam prætereà hîc quoq; iacta fuêre

indigna conuitia, adeoque ipsa contumeliosè blasphemiæ in Deum rea acta, quæ tamen non solum vitæ hominum præstet quidquid est in ea boni, quando absque hac omnia perire, turbari, vacillare necesse sit, sed etiam conditoris & custodis vniuersi laudibus seruire, & possit, qua nihil sit in rebus humanis sublimius, & debeat, cum eo omnia referri oporteat & velit, quando qui in eius interpretationem quotidiè incumbimus, omnia plena diuinæ maiestatis ostendimus, sincero animi cultu Deum perpetuo venerantes. Quæ enim scientia omnium Dei operum cognitionem comprehenderit, an non ea, si mens ipsa sit, tota se in eorum operum laudes & opificis omnium admirationem in æternum effundat, aut si illa in mentibus sit, quę earum hoc non affectet? Siue igitur hoc vult philosophia, siue hoc volunt qui reipsa philosophantur, quod de Christianis, hoc pernobile vitæ genus colentibus, aliter suspicari bonus vir nemo potest. Nihil igitur maleuolos moramur, qui nobis absurdas & impias opiniones affingunt. Nec enim vllam sapientiæ virtutisque humanæ perfectionem, si qua sit, ad Dei gratiam & æternam salutem consequendam facere, quisquam nostrum cogitauit, nedum doceamus. Non alienum duxi, huius quoq; nuper exortæ disceptationis verbo mentionem facere. Pro philosophia autem, itemque pro existimatione nostra, & aliâs diximus, & dicemus quoties opus erit. Nec enim nos in infamia iacere æquum est, erigere caput calumniam: veritatem autem, siue illa philosophiæ ani-

ma, ſiue illa ipſa eſt, prodere ſilentio minus nos oportet, quàm huius lucis iacturam vltrò temerè facere. Illud enim qui faciat, omnino ſalutem publicam deſerere, ſeque nefario patriæ parricidio obſtringere non iniuria exiſtimetur.

Illuſtris locus Platonis de mediocritate diuitiarum, ex libro V. de legibus.

Πλουσίους δ' αὖ σφόδρα καὶ ἀγαθοὺς, ἀδύνατον· οὕς γε δὴ πλουσίους οἱ πολλοὶ καταλέγουσι. λέγουσι δὲ τοὺς κεκτημένους ἐν ὀλίγοις τῶν ἀνθρώπων νομίσματος ἄξια κτήματα, ἃ καὶ κακός τις κέκτητ' ἄν. εἰ δ' ἔστι τοῦτο οὕτως ἔχον, οὐκ ἂν ἔγωγε αὐτοῖς ποτὲ συγχωροίην τὸν πλούσιον εὐδαίμονα τῇ ἀληθείᾳ γίγνεσθαι, μὴ καὶ ἀγαθὸν ὄντα. ἀγαθὸν δὲ ὄντα διαφερόντως, καὶ πλούσιον εἶναι διαφερόντως, ἀδύνατον. Τί δή; φαίη τις ἂν ἴσως. ὅτι (φαῖμεν ἂν) ἥ τε ἐκ δικαίου, καὶ ἀδίκου κτῆσις πλέον ἢ διπλασία ἐστὶ τῆς ἐκ τοῦ δικαίου μόνον· τά τε ἀναλώματα μήτε καλῶς μήτε αἰσχρῶς ἐθέλοντα ἀναλίσκεσθαι, τῶν καλῶν καὶ εἰς καλὰ ἐθελόντων δαπανᾶσθαι, διπλασίως ἐλάττονα. οὔκουν ποτὲ ἂν τῶν ἐκ διπλασίων μὲν χρημάτων, ἡμίσεων δὲ ἀναλωμάτων, ὁ τὰ ἐναντία τούτων πράττων, γένοιτ' ἂν πλουσιώτερος. ἔστι δὲ ὁ μὲν ἀγαθὸς, τούτων, ὁ δὲ οὐκ ἀγαθὸς, ὅταν ᾖ φειδωλὸς· τότε δὲ ποτε καὶ πάγκακος. ἀγαθὸς δὲ (ὅπερ εἴρηται τανῦν) οὐδέποτε· ὁ μὲν γὰρ δικαίως καὶ ἀδίκως λαμβάνων, καὶ μήτε δικαίως, μήτε ἀδίκως ἀναλίσκων, πλούσιος, ὅταν καὶ φειδωλὸς ᾖ· ὁ δὲ πάγκακος ὡς τὰ πολλὰ ὢν ἄσωτος, μάλα πένης· ὁ δὲ ἀναλίσκων τε εἰς τὰ καλὰ, καὶ κτώμενος ἀπὸ τῶν δικαίων μόνον, οὔτ' ἂν διαφέρων πλούτῳ ῥᾳδίως ἄν ποτε γένοιτο, οὐδ' αὖ σφόδρα πένης· ὥστε ὁ λόγος ἡμῖν ὀρθὸς, ὡς οὐκ

εἰσιν οἱ παμπλούσιοι ἀγαθοί· εἰ δὲ μὴ ἀγαθοί, οὐδὲ εὐδαίμονες.

Noua & accurata loci Platonici interpretatio.

Fieri autem nullo modo poteſt, vt iidem ſint, & ſupra modum diuites, & viri boni: quos quidem homines vulgo numerant in diuitibus. Nominant autem eos diuites, qui inter paucos mortales bona, magna pecunia æſtimata poſſident, quæ etiam vir malus ſibi comparauerit. Hoc verò ſiquidem ita ſe habet, non ipſe equidem ijs concedam, diuitem reuera beatum fieri, niſi idem & bonus vir ſit. Fieri enim non poteſt, vt idem & eximiè vir bonus, & eximiè diues ſit. Quid ita? dicat fortè aliquis. Quia (reſpondeamus) primùm comparatio bonorum, & iniuſtè & iuſtè facta, duplo amplior eſt altera, qua non niſi iuſte fit: deinde ſumptus, qui neque in res honeſtas, neque in turpes fiunt, honeſtis ſumptibus & in res honeſtas factis, duplo minores ſunt. Nunquam igitur is, qui contra facit, quàm illi, quos duplo plus coaceruant & duplo minus impendunt, ditior fieri poßit. Eorum autem alter vir bonus eſt, alter non eſt vir bonus, eò ſaltem quod parcus eſt: atque hic interdum eſt omnibus modis malus, bonus autem, quod modò dictum fuit, numquam. Qui enim iuſtè & iniuſtè opes corradit, & neque iuſtè neque iniuſtè impendit, diues fit, quando parcus eſt: at alter omnibus modis malus, cum vt plurimum luxu perditus ſit, prorſus pauper eſt. Qui verò ſumptum facit in res honeſtas, & tantùm iuſtis modis rem facit, ille haud facilè diuitiis poßit excellere, neq; ad extremam paupertatem redigi. Quare recta eſt hæc noſtra ſententia: non eſſe bonos viros, qui immenſas opes poßident: cumq; boni viri non ſint, neque beati ſunt.

Cum

Cum his consentiunt hi versus Euripidis:

Μὴ πλοῦτον εἴπῃς· οὐχὶ θαυμάζω θεὸν,
Ὃν χ᾽ ὡ κάκιστος ῥᾳδίως ἐκτήσατο.

Nec non locus M. Tullii è secunda Corneliana. Nam neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi venalitiarii, mercatoresque superarunt, neque vestis, aut cælatum aurum, & argentum, quo nostros veteres Marcellos, Maximosque multi eunuchi è Syria, Ægyptoque vicerunt, neque verò mouent me ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum, & Mummium, qui rebus his vrbem, Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacilè Deliaco, aut Syro potuisse superari.

AVLICVS.

Ex Polybio.

Βραχεῖς γὰρ δὴ πάνυ καιροὶ, πάντας μὲν ἀνθρώπους ὡς ἐπὶ πᾶν ὑψοῦσι καὶ πάλιν ταπεινοῦσι, μάλιστα δὲ τοὺς ἐν τοῖς βασιλείοις. οὕτως γάρ εἰσιν οὗτοι παραπλήσιοι ταῖς ἐπὶ τῶν ἀβακίων ψήφοις. ἐκεῖναί τε γὰρ κατὰ τὴν τοῦ ψηφίζοντος βούλησιν, ἄρτι χαλκοῦν καὶ παραυτίκα τάλαντον ἴσχυσιν, οἵ τε περὶ τὰς αὐλὰς κατὰ τὸ νεῦμα τοῦ βασιλέως μακάελοι, καὶ παραπόδας ἐλεεινοὶ γίνονται.

Occasiones enim omnino leues, in vniuersum quidem omnes homines extollunt, & vicißim deprimunt: sed eos tamen maximè, qui in regiis vitam degunt. Sunt enim ipsi reuera similes calculorum in tabulis. Hi enim ex eorum, qui rationes subducunt arbitrio, modò teruntio, modò talento, valent: & illi, qui aulas colunt, ad nutum regis, beati, & euestigiò miserabiles fiunt.

AVERROES.

VIrtutum præſtantiæ, aſſeuerante etiam Platone, eiuſmodi homines compotes fieri poſſunt, qui ab ineunte ætate in illis ipſis & educati fuerint & verſati. Quod ſi verò primis illis annis eas virtutes neglexerint, nulla eis ſpes earum adipiſcendarum relicta eſt. Quare etiam neque obiurgatio neque pœna, in ætate iam prouectos, qui olim non magno ſtudio bona diſciplina educati fuerint, aliquid momenti habebit. Neque tamen fieri non poteſt, vt ſanè etiam, quorum flos ætatis effluxerit, virtutem aliquam conſequantur, ſi bona indole nati ſint: etiamſi ab initio non fuerint ea diſciplina educati, quæ ad virtutem recta ducit. Quod ſi ne hoc quidem illis contingat, tum alterum horum iis euenire neceſſe eſt: vt videlicet aut miſerè pereant, aut ſeruitutem ſeruiant, ſintque in repub. propemodum pro iumentis.

IOAN. CASELII
ΠΑΡΑΔΟΞΑ DVO IN EDVCATIONE PRINCIPVM:
Vnum de victu,
De Reliqvo Splendore Alterum.

Ad nobilißimum virum,

ABRAHAMVM BELLINVM, Principis VVirtebergici aulæ magistrum.

Cap. I.

Continens procemium huius lucubratiunculæ.

SPem tibi plenioris epistolæ, & quidem de meis verbis fecerat, quam ipse ferret, Christianus Bellinus, frater tuus. Nec verò ille rectâ ad vos profectus fuit: & mihi ab eo tempore alia ex aliis obiecta fuerunt, vt fasciculum Lipsiam non miserim, vt inter nos conuenerat, quô cum nec ipse tum veniret, à me minus erratum iudico. Præcipuè autem cum quædam de nobilitate, ab hoc sæculo, & nostris mori-

moribus non aliena, meditatus fuiſſem, menſem & amplius contriui in lucubratiuncula, cum interea tamen aliæ atque aliæ curæ me interpellarent, modo valetudinis, modo rei familiaris, modo controuerſiæ, in quam aliena ætate detruſus ſum, donec penſum illud abſolui, partim quemadmodum faciendum mihi viſum fuit, partim vt potui. Nec enim habui in animo perfectum aliquod opus, ſed eiuſmodi, quo de re peruulgata, nec æquis tamen omnium iudiciis expenſa, lectoris à veritate non aberrantis, iudicium informarem: in quo non mirabor, ſi pluſculum deſiderabunt doctiores, cum nec ſatis ipſe mihi faciam. Vides moræ meæ cauſſas: quin iam omnem illam remoueo, ne inter eos referar, qui, vbi creditores inani ſpe diu deluſerint, tandem infelices bonis cedere neceſſe habent. Neque tamen admodum ſoluendo ſum: verùm quia in promittendo facilis fui, in prȩſtando non eſſe nullus debeo. Quod ſi minus præſtitero, quàm velis aut debeam, facilius mihi ignoſces, quod iacturȩ nihil feceris. Quibus enim ipſe abundas, quid ea ab alio admodum exſpectes? Nam & eadem didiciſti à puero, & in iis quæ ad vitam pertinent, & quidē in grauiſſimis negotiis cum laude verſatus es, &, ſi quorum egere te intelligas, ex iis fontibus, ex quibus nos hauſerimus, tuapte opera haurire cum voluptate poſſis. Habuiſti enim, & habere te quotidiè in manibus audio, tum recentiorum monumenta, qui aliquid de inſtitutione & officio principis & de vniuerſa republica ſcripſerunt, tum ſacras litteras, tum poëtarum

prin-

principem, qui omnibus sæculis magister virtutum & informator heroum habitus fuit, tum diuinum Platonem, disertissimum Isocratem, acutissimum Aristotelem, mellitissimum Xenophontem, redundantem consilio Senecam, sapientissimum Themistium, philosophum vita & imperio Antoninum, grauissimum Plutarchum, aurei oris Dionem & horum similes, tum historiam vniuersi orbis omnium sæculorum, deniq; matrem sapientię, quæ diuinæ mentis decreta in iis omnibus sui studiosis recludit. Ea cũcta cum tibi in promptu sint, necessarium super hac re scribendi argumentum nullum mihi relictum iudico, nisi vel Ducem tuum mihi ad te prædicare libeat, qui de filii educatione curam ita prudenter susceperit, aut tibi gratuler, cui hæc prouincia delata sit, aut Principi, cuius educatio à tuo potissimum nutu pendeat, aut isti populo, qui aliquando istis bonis, quæ nunc vestro studio publicæ potissimum vtilitati comparantur, aliquando perfruetur. Sed potissimum de Duce loquar, cuius in virtutibus primis hanc ponendam censeo, quæ nec ipsa tamen vna est. Etenim eodem studio & de præstantia filii cogitat, & felicitatem suæ prouinciæ sancit, & stabilit, simul optimi patris & optimi principis officium faciens. Cum autem liberis parentes secundum Deum & vitam donent, & alimenta præbeant, cumque his patrimonium qui fortunatiores; nihil tamen tertio beneficio reperiemus maius & nobilius, quæ est recta ad vitam educatio, in pietate consistens & virtute, & si quæ sunt præ-

terea dotes animi. Magnum enim putatur hunc aërem haurire, ſolem & cœlum, quæque in eo continentur, oculis intueri: quantilla tamen hæc & quàm caduca ſunt omnia, deſtituta ſuis adminiculis? Aut enim occidunt repente, quaſi orta numquam fuerint, aut contabeſcunt in mediis calamitatibus. Iam ſi cui præter nutritionem commodam & neceſſariam obueniant cætera cuncta fortunæ bona incredibili cum copia, quô ea plura, quô maiora erunt, cum non minus ad extremam calamitatem, quàm ad ſummam felicitatem valeant, hoc ille magis tota vita periclitabitur, niſi maturè ipſi ſubueniatur, hoc eſt ad vitæ hominum cultum educetur. Sane vero plæriſque parentibus hac de re non nulla opinio quaſi quoddam ſomnium in mente oberrat, & adeo incerta, vt pauci id ipſum cogitare videantur etiam cum cogitant: ſed pauci admodum hoc negotium rectè intelligunt, pauciſſimi hoc potiſſimo parentum officio dextrè perfunguntur, nec niſi, qui vel ipſi à pueris rectè educati fuerunt, vel quantopere in ſe educandis aberratum ſit, aliquando animaduertetunt: atq; haud ſcio, vtri in educatione liberorum diligentiores & acriores futuri ſint, de quo quis in otio rectius diſpiciat. Priſcos heroas huic ſtudio maximè ſemper incubuiſſe, non ſolùm ex poëtis, ſed ex varia quoq; hiſtoria accepimus: & inter ipſos extiterunt, qui hoc profiterentur, & egregiè præſtiterint: nec ignotum eſt ſuper hac re celebratum ſtudium, fides & induſtria Chironis in monte Pelio: de quo ad te ſcribere pluribus non attinet,

net, nec alioquin opus esse censeam, quod ab eo tempore non solum principes Græciæ, sed fortunatissimi quique deinceps in regionibus non barbaris, & cumprimis reges, filios ad humanitatem & imperium educauerunt. Nec verò aut maiorum sæculo aut nostro hanc eximiam laudẽ derogabimus: quin hodie Christiani orbis principes de filiorum educatione maiore cura agunt, quàm vnquam ab hominum memoria factum fuisse existimem: nec etiam vulgarem in modum instituitur, sed vt plurimum simul in litteris & liberalibus disciplinis, quæ eædem sunt regiæ, aut certè hæ illas consequuntur. Vtinam qui diuinum illud spatium aliquando ingrediuntur, in eo tamdiu perseuerent, donec cursus sui rationem intelligant, & metam ante oculos videant! Quod autem Dux vester cum cæteris principibus de filij educatione idem consilium capit, regium profectò factum: nec minimam ille laudem meretur, qui quam omnes & ipse assequitur; maiorem etiam cæteris, qui & negotii cuiusque rectam rationem tenet, & in rebus vtitur præstantissimo quoque & integerrimo, in quorũ neutro istic aberrari animaduertimus. De te ad te loquar parcius, nec vllo modo incurram in pudorem tuum: qui nisi & moribus optimis, & doctrina eximia, & tanto vsu rerum esses præditus, non te procul inuestigatum accersiuisset de filij suorumque populorum salute diligenter cogitans princeps. Optimam autem educationis formam partim designabit ipse pater, cum & ipse isto imperio res dignas gerat & summa cum

laude præſit reip., partim vtatur doctiſſimorum peritiſſimorumq; hominum conſilio, quos in academia & in aula multos habere perhibetur. Neq; tamen quicquam omnium te fugit, quæ ad iſtud officium per quam in honoratiſſimis primarium pertinent, dumq; eo ſedulo fungêris, in ſingulis animaduertes, & quodque adminiſtrabis, ad quem modum omnium facto opus erit: ipſa etiam cura Phœnice non inferior eris, prudentia & dexteritate multò ſuperior. Quo nomine, tempus erit, quando aliquis pluribus gratulabitur diſciplinæ tuæ alumno, & ipſe modò faciam, ſi velim eſſe longior, cum nobis familiares indolem Principis tui heroicam mirificè prædicent. Tibi autem gratulabor, nec longa oratione, nec de iis, quæ vulgus admiratur & in primis numerat & præ cunctis in ore habet. Neq; tamen non fateor, magna quodam modo hæc eſſe, gratiam Principis, vtilitates priuatas, honorem primarium, ſplendorem vitæ, & quæ ſunt horum ſimilia: quæ vt vulgus amplificat, mihi ſanè extenuare facile ſit, quæ tamen relinquo: certò etiam ſcio, te, quæcunque eiuſmodi ſunt, non ponere niſi in caducis, quæ ſi non è manibus dimittas ob vitæ cultum neceſſarium, tamen nequaquam iis quæ extra te ſunt, neq; à te proficiſcuntur, nitendum viro ſapienti cenſeas. Eo igitur nomine tibi gratulor, quòd cum ad publicam vtilitatem, ex quo in arenam ex vmbra negotiorum prodieras, te totum pridem contuleris, iam nactus es ſummam commoditatem non ſolum de iſto Principe, ſed de quamplurimis in

futurum

futurum quoque bene merendi: hoc enim eſt, quo maximè nos homines eſſe aut virtute præditos oſtendimus. Ab hac enim niſi fructus redundet in alios, non res ipſa, ſed quaſi quædam vmbra ſiue potius ſimulatio fuiſſe videatur, nec multum abſit à ioculatorum artificiis, qui oculis noſtris ſpecies quaſdam mirificas obiiciunt, cum rerum prorſus nihil videas. Hoc igitur tuum quidem decus eſt, ſed aliorum commodum: etſi natura efficit, vt qui talia deſignet, fortunæ quoq; bona maximam partem in manu habeat, aut iis potiri, quum velit, & quoad velit poſſit: volet autem quouſq; ex dignitate ſua erit & cum mortalium nullius incommodo. Nec enim aliud permittunt decreta ſapientiæ quibus ſe obſtrinxit virtus. Sed cum, quæ eius generis ſunt, me miſſurum dixerim, de vno tuo commodo non poſſum non tibi quoq; gratulari, ex quo te plurimum ſolidæ voluptatis capere non dubitē. In iſta enim conuerſione rerum, quid tibi euenerit optatius hoc ad quas velis litteras reditu, & ſumma occaſione te demergendi profundius in ipſa ſtudia ſapientiæ? E medio enim curſu iuuenis admodum ex academiis & peregrinationibus in aulam abreptus, & actus per negotiorum multitudinem & perpetuos regiarum ſtrepitus, ad lectiones reſpicere & ad diſputationes redire nunquam potueris, aut non quoties & quemadmodum deſideraueris. Etſi enim à neutro ſtudio in vniuerſum ceſſat, qui negotia gerit, quòd & ad multa reſpicere & ex multis quærere quotidiè neceſſe habet: tamen per occupatio-

nes neque lectioni, quantum velit temporis, neque meditationi, impendere potest, nedum omnes ingenii neruos illô intendere. Lętari video viros politicos, si pauculas horas, interdum vnũ diem surripiant, quo se vel oblectent; quod iis tales deliciæ cumprimis sapiunt, quarum vsum in vita præcipuum experiuntur, vel confirment, quod & ex præceptis & similibus multa rectius diiudicent & eruant, quòd in tanta multitudine & varietate rerum aliis atque aliis consiliis & subinde nouis sibi opus esse intelligant. Te verò, quòd cum desiderio ad musas reuertaris, qua diligentia in omni genere optimarum disciplinarum iam verseris, videre mihi videor, vt dies noctesque sis in studiis sapientiæ, ac præ illis cæterarum rerum omnium, quæ imperitę multitudinis oculos & animos felicium perstringunt, adeoque tuimet ipsius obliuiscaris, quamquam de se maximè cogitat, qui quod potissimum est, sibi curæ habet, idque perficit, & animum siue seipsum, quoad homo potest, beat. Cum enim partes istius muneris expleuisti, immò dum hoc ipsum agis; simul vrges, quod dixi maximè. Nam hæc optimè conuenire mihi videntur. Quando enim istud agis, hoc simul præstas, qua gratia cætera cognoscis: & vna parte studio doctrinæ occupatus, primùm omnium illò respicis, vbi primus tibi eius & præsentissimus vsus sit. Idem verò cogitas, vt aliquando ad negotia reuersus, nõ paullò instructior, non solum illa cum laude feliciter, vt antè abs te factum fuit, expedias, sed salutem communi patriæ, vbi maximè opus est, feras. Si

ras. Si

ras, Si enim nemo futuras tempeſtates præuideat, quæ obuerſantur hodie etiam non imperitiſſimorum hominum oculis ; ea certè eſt rerum humanarum conditio, vt ſumma etiam felicitate, neç vllo publico metu, ad omnem fortunam parare nos & munire debeamus. Hinc illud decantatum ab omnibus: ſumma pace meditanda & inuenienda, quibus bello aut quouis metu opus ſit. Quod ſi enim tuti ſimus, & in perpetuum futuri videamur ab omni externa hoſtium iniuria, quis ab inteſtini mali metu vllum imperium aut remp. liberet? Rectè igitur, qui ab adoleſcentia ſibi primum perneceſſarias litteras, nonnullã virtutem, aliquid conſilii & diſertam orationem comparant: rectè adultiores, qui non ſolum hæc retinent & vſurpant, ſed confirmant abſoluuntque ſingula, quouſque cuilibet liceat aſſequi per ingenium, & multis ſiue cunctis partibus ita augent, vt ſi qua deſiderentur, in ipſis tamẽ nec voluntas deſideretur, nec ſtudium: rectiſſimè ſenes, qui in acie ciuili ſtationem non deſerunt, & negotia prima gerunt & difficillima, etiamſi plurima & faciliora concedunt validioribus. Etenim & ratione & rebus longa ætate probè eruditi & abundè inſtructi, vel conſiliis præſto ſunt patriæ, vt vel inter arma Neſtor, vel præceptis ſalutaribus, vt ſenio iam confectus & ciuium ſuorum vicem dolens, Solon. Non autem ego te recenſeo in paucis, qui quaſi ciuili conſuetudine renunciata, vitæ contemplatrici, hoc eſt inueſtigationi rerum & cauſſarum ſe totos deuouerunt: ſed in alteris, qui cum hoc ipſum haudquaquam negli-

gligunt, ſed vitæ & cultui priuatim & publicè principe loco ſeruiunt. Sic enim natus es, ſic educatus, ita ætatis florem egiſti, vt abeſſe nec velis â rep., neq; fortè poſſis: quòd in quibus plurimi fuimus ab adoleſcentia, ea ne velimus quidem relinquere, & vel renitentes in eadem relabamur: nec debeas te ſubducere vtilitati publicæ. Namque & ordo equeſter deſtinatus eſt reip., & patriæ tui te magis, quàm tibi educarunt, & non imparatus in vitæ theatro apparuiſti iuuenis, & omnia conquiris, quæ in id genus ſtrenuo athletha requiruntur. Non igitur neque à dignitate tua diſcedes, neque fruſtra longi temporis labores poſueris, vt de ſumptu nihil dicam, cum in hoc genere pecuniæ iactura in minimis ponenda videatur, nec dabis locum tali loco indignis, quem tueri nec velint nec cogitent. Nec enim noua eſt, ſed vetus à memoria hominum querela, plærosque contendere ad remp. rebus turbandis, quam ſtabiliendis aptiores, non ob proprias, ſed alienas cauſſas, quòd honores ipſi & diuitias ſibi quærunt, quia fugerent remp. & quicquid in ea eſt moleſtiarum, niſi ambitione ſtimularentur & auaritia.

CAP. II.

Refutatur eorum error, qui litteratos de educatione Principum ſtatuere non poſſe arbitrantur.

IAm ſi hic ſim longior, cohortationem ſcribere, aut præcepta dictare videar, quorum ad te neque his neque illa opus. Nec enim te fugit quæ tuæ partes ſint, & vltro facis omnia, quæ

ex vſu

ex vſu Principis & ex re tua ſint maximè,quibus nominibus tibi gratulatum veni. In hoc autem verboſior fui, vel hanc ob cauſſam, quod breues litteras non exſpectabas: ſed in aliam ſententiam, inquies. Namque ita etiam me fidem tibi obſtrinxiſſe putes, vt ſcriberem de educatione principis aliquid, in quo non ſine cauſſa tergiuerſor. Quid enim mihi in mentem veniat, quin vel ipſe pernoris, vel aliunde poſſis petere, cum in medio ſint monumenta veterum & recentium ſcriptorum optimæ notæ? Tamen ne tibi nihil facere, nec prorſus aſymbolos videar, dicam de vno atque altero, quæ quidem non à nemine animaduerſa ſint, nec, quod meminerim, reprehenſa tamen,credo, quod qui conetur, laterem,vt dicitur, lauet, & ſe deridendum propinet aulis & ſplendidæ vitæ ſectatoribus. Nam quæ inueterata ſunt omnium ferè ſæculorum conſuetudine, quæ præſertim in ſenſus incurrant, & cupiditatibus tam principum, quàm populi, reſpondeant, non pro lege valeant? cum leges optimæ & ſanctiſſimæ ſæpè violentur: ſæpè plus quam legis vim habent: quin ſi altas radices egerunt, nec vlla vi euelli, nec arte aliquando labefactari poſſint. Nec verò intelligere quæ in vita & regiis gerantur aliquis in otio exiſtimetur, ne dum cenſura hominis docti locum habeat: habeat autem? cum qui è ſcholis quotidiè prodeunt plærique aularum opiniones & vitam ſequantur, ſæpè etiam magis, quàm qui in illo ſplendore nati educatique ſint. Quid de academicis iudicent rationum academicarum

ignari,nihil nunc ad nos:neque iis perſuaſeris,vt vel de nobis,vel de rebus rectè ſentiant. Non eſt vnum academicorum genus : & verum hic eſt, quod à Græcis celebratur : πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι. Numeremus tamẽ in academicis,quos vulgus: primùm quotquot quoquo ingenio litteris quocunq; modo tincti ſunt.Hi nihilo magis,quæ ſenſibus ſubiecta ſunt,quàm quę ratione perueſtigantur, intelligunt, & vix eum locum inter nos tuentur, quẽ in caſtris calones. Tamen ex iis, ſi qui à pueritia in primis elementis fideliter erudiuntur, & de ſe modeſtè ſentiũt, iniquus ſit, qui aliquid illis bonæ gratiæ deberi neget:ſin qui,vt paſſim oriuntur multi, ſibi cenſoriam auctoritatem in ſapientiam & virtutem ſumant, eodẽ erunt in academiis, quo loco ſunt in vita ciuili Therſites ſiue Spartacus. Veniunt verò ad nos alij,quemadmodum ad Socratem ſe conferebat Alcibiades. Hic enim adoleſcens viro ſapienti operam dare conſtituerat, vt in rep. primum locum teneret, & in patria quamplurimum valeret: ſed ab eo ſe ſtatim auellit, poſtquã ex eius conſuetudine, quod ipſe potiſſimum ſectaretur,ſe conſecuturum deſperauit. Socrates enim adoleſcentes ab otio & voluptatibus,ciues ab auaritia & ambitione deterrebat, inuitabat omnes ad humanitatem & modeſtiam. Ad eundem modum & academias nonnulli frequentant, non vt ſcientia & virtute abundantiores, hoc eſt, meliores ad ſuos redeant, quod nec ipſis neque ipſorum parentibus in mentem venit,aut ſaltem hoc ſeriò nõ cogitarunt, ſed vt eas quam-

primum ſibi artes comparent, quibus honores & opes parari exiſtimantur. Hi ſi præterea nihil conſequuntur, quàm ea, quorum gratia acceſſerant, nihil mirum. Nec igitur mirum, ſi & ipſi de rebus, quarum vim & naturam cognoſcere non laborarint, perperam iudicent: minus mirum, ſi talium iudicia apud neminem aliquid ponderis habeant, quæ nos etiam ne flocci quidem æſtimanda cenſeamus. Res autem ipſa docet, eorum nonnullos aliquo vſu rerum tandem erudiri & in plæriſque corrigi, vt deinceps & ipſi rectè ſentiant, & cum ſapientię magiſtros in pretio, tum ſapientum monumenta in manibus habeant. Cum his non numero, nec noſtri ordinis dici velint, qui ſpaciis academicis egreſſi, opinionibus, animo, moribus, cunctisq; vitæ inſtitutis populo ſe in vniuerſum ita accommodant, vt quas ſani quoq; reges in deliciis & honore habent, muſas in rebus contemptiſſimis recenſeant. Iam igitur perueni ad ſinceros meroſq; diſciplinarum liberalium cultores, quos faciam trium generum, vt quod volo, paulò plenius exponam. Et enim olim exſtitere & ſunt hodie alicubi, vel quos fortunæ conditio vel leges à ciuilibus negotiis ſegregant, vel qui ſe totos abdunt in contemplationem naturæ rerum, vt ſibi non aliis viuere videantur: à quibus non nihil boni in communem hominum conſuetudinem redundare exiſtimem. In hos debacchari impunè poſſit Callicles ille in Gorgia Platonis. Nec enim eorum alicui curæ ſit, cur quis in foro litiget, nec in cuiuſquam rationes inquirat, nec

sciscitetur, quæ qui vbi quantáque bella per orbem gerant, sed indaget naturæ abdita, & in sola veritate, omnium cæterorum, quæ in oculos & opiniones hominum incurrunt, bonorum expers, quem omnes omnium regum opes & potentiæ non magis afficiant, quàm præteruolitantium culicum susurri, toto animo acquiescat. Hos facilè derideant, qui se non procul à vulgo remouerint. An enim eorum rationes audiant, qui neque ipsi nedum considerent ea, de quibus in vita mortalium disceptatur maximè? Reliqua sunt duo genera in vmbra litteraria versantium, qui de vita humana & eius omnibus siue plærisque rationibus rectè sentiant, ac multo etiam rectius plærisque omnibus, qui in negotiorum fluctibus, nec vecti tamen illa Argo sapientiæ, iactentur, iudicent. Quidni enim? cum hoc ipsum studuerint, & in perpetuum studeant, etiamsi remp. non gerant, nec ad eam rapiantur: declinent enim quantum & quamdiu possint. Quos dicam, intelligis, & hos videlicet, qui ab altera, & illos, qui ab vtraque parte philosophantur. Sunt enim, & qui nec adspernētur, nec prorsus negligant occultissimarum caussarum inuestigationes, quæ propriè sapientia dicitur, sed fuerint, perseuerentq; potissimum in iis, quæ ad cultum humanæ vitæ pertinent, eaque sedulo conquirant, non solùm ex poëtis, qui tamen primi vitę magistri exstitisse creduntur, sed etiam ex historicis & priscis philosophis, vt qui cum illud agunt, quod solum eos dixi agere, de quibus antè memini, tum hoc, quod proximo generi attribui.

tribui.

tribui. Deinde qui acie ingenii in intimos vniuersi recessus, & proximè ad naturæ auctorem (si hoc per calumniam dicere liceat) penetrarunt: hos ea non perspexisse, quod præsertim anniterentur, quæ oculis videre sit, & tantum non prehendere manibus? Platonem dico & Aristotelem, & eiusdem ingenii & studii cæteros: quos politicorum quis sępè carpat sine caussa, aliquando quid addat corrigatue præterea: quod in genere tam ambiguo nihil mirum. Iudicia autem talium virorum, qui in rep. & negotiis, pace belloq; vixerunt, qua fronte quis eleuet? qui ausit, simul animi sui væsaniam prodat. Quæ igitur tradidit hoc in genere Pythagoras, quæ Socrates, quæ perscripsere Xenophon, Polybius, M. Tullius; ea non minus veritatis habere, putandum est, quàm Minois, Lycurgi, Solonis, leges. Si illorum sententiæ ridiculæ videri nemini debent; nos quoque temerè eludimur, qui vt non iam consuetudinem, sed ex ea imbibitas falsas opiniones refutemus, ab illis accepta nostræ ætati occinimus, siue nullo, vt vulgus ait, siue aliquo, vt ego arbitror, profectu & bono, interdum priuato, neque nunquam publico.

CAP. III.

Non esse etiam in Principum victu consuetudini sed rationi parendum.

HOc secũdo prooemio ad te minimè omnium opus erat: sed quoniam neq; ab aliis hæc legi nolumus, propterea eo vsus sum: iamq; venio ad id, quod qui præcipitis iudicii sint, criminari

possint

possint, qui malitiosi animi, etiam velint, antè quàm omne legerint, & rationum momenta secum perpenderint. Quid enim, dicet quis, absurdius, quàm fortunatorum & principum reip. denique regum filios à deliciis & copia ad tenuem victum reiicere, & à splendore ad humilitatem quandam plebeiam redigere? Hoc enim à te contendam, & bonis rationibus obtinebo, ex re esse & rectum omnino, vt qui primi inter mortales à Deo sint, & Dei vices in his terris aliquando gerant, ὡς σωφρονέστατα supra omnes educentur. Vtar enim eo vocabulo, quo indicari intelligis, tum corporis alimenta, tum cætera vitæ ornamenta, quorum vtriusque generis nonnulla non solum non necessaria & superuacanea, sed interdum etiam oneri nobis & fraudi sunt. Videamus de priore prius: in quo mihi non propositum est leges ferre cænis principum, quæ philosophia à maiore auctoritate proficisci debet. Ago enim de prima enutritione paruulorum & impuberum adhuc, nec non epheborum principum. Fortè dicenda quædam videantur in consuetudinē & opiniones vulgi, quod, vt & satis & multis adeo cognitum omittam siue perstringam breuiter. Nam nec perpetua consuetudo, vt sunt quædam perpetuæ quarundam gentium, quibuscum natæ sint, cum iisdem occasuræ, multum valere potest, multo minus opinio, tam imbecillæ matris, nempe inueteratæ consuetudinis, nihili filia. Nec enim opinio nasceretur, nisi foret consuetudo praua: neque hæc, nisi cupiditas nos exstimularet: & cupiditas quiesceret, nisi eam

falsa

falſa voluptas accenderet. Quid igitur hic iubet ratio? & vnde eam eruemus? Fortè alius aliunde commodius initium faciat: ego hinc, vt opinor, non incommodè ordiar, vt ſtatuam quæ in ſenſus incurrunt maximè, non proinde prima eſſe & maxima, nec tanti omnino facienda, quanta ſunt in oculis, in manibus, vt apud Spartanos, quibus non licebat alia moneta vti, quàm ferrea, non tanti pretii tamen erant ingentia ferri fruſta, fermè omnem domus aream occupantia, quanti arcula puſilla vel loculi auro pleni. Sed & à proximo exemplum petam. Inſolens regiæ attonitus contempletur aureum aulæ veſtibulum, turres eductas cœlo, pauimentum vermiculatum, parietes marmore incruſtatos, columnas porphyreticas, ſtatuas marmoreas & æneas, pſittacos loquentes, pauones paſſis alis ſuperbientes, coruos atrum colorem abiuratos, vrſos, leones, tigres, aliquando elephantum, Pygmæos, Æthiopas: audiat item ille tubas, tympana, tormenta de muris fulminantia, cætera., quorum cogitandi nec tempus mihi eſt, nec lubido, nec exponendi facultas: quis hæc ex omni populo neget eſſe maxima? accedit, quòd in his ponitur ſtudium quantum maximum, in hæc ſumptus fiunt incredibiles, ſiue ita faciendum reges ipſi ſentiunt, ſiue certa eos imperiiſque accommodata id velle & moliri cogit ratio. Illa autem omnia foris: idem ſi in penetralia intromittatur & iſtic itidem ſpectet reliqua, ſi deniq; regem cum gynæceo & purpuratis prodeuntem videat, ſi circa ipſum ſatellites, alios pedites, alios in equis Thraciis, ob-

ciis, obstupescet. Hoc igitur est esse regem: immò aliud, quod hospes non videat nec animaduertat, ipsi ignorent sæpe ciues. Est enim perpetua de populis cura, vt patris de liberis & familia, vt Dei de vniuerso genere mortalium, & solicita omnium rerum administratio, ne quid impiè, ne quid iniustè, ne quid malo priuato aut publico fiat, quæ non proueniunt nisi à summa prudentia & animo magno, tolerante molestiarum, adspernante voluptates, salutem populorum rebus omnibus & vitæ denique anteponente. Loquimur enim de legitimo principe, qui illa, quæ antè recensui, vt ego sentio, non solùm in minimis ponat, sed sæpè ne quidem animaduertat in cura regia: neque exstitere nulli, qui non solùm eiusmodi contempserint, sed maximam partem neglexerint, nec nisi quod horum omnibus modis necessarium fuerit, interdum aliud agentes coluerint, vel aliis eam curam, quam infra se esse iudicarent, demandarint. Talem principem qui educare in animo habeat, non ad ea, quæ in sensus potissimum incurrunt, sed quæ maximè ratio dictet, deducendum esse sentio, quantumuis consuetudo repugnet, & vulgus, non illud humile & sordidum, sed primarium, si de perperam opinantibus ita loqui licet, & splendidum, aliô trahat.

CAP. IV.

Quid rationi & in re consentaneum sit, quid minus.

QVid igitur sibi vult ratio aliud, nisi, vt quoniam quotidie de mortali corpore defluit, quod

quod tuendæ vitæ gratia reparare oporteat, alimentis necessariis & commodis fruamur, siue quod paullo horridius dictu, in omnium ore est, edamus & bibamus, vt viuamus. Beluæ enim sit vox altera, non hominis, quæ viuere iubeat, vt edamus & bibamus: immo bruta pleraq; naturæ leges, & hac in parte, & nonnullis aliis minus violant quàm qui eas seruare debebamus religiosissimè. Neque verò hæc lex minus obligat summam potentiam, quàm mortalium abiectissimum; quin si humilibus ob vilitatem liceat, regibus & sapientiam profitentibus non liceat; si feratur in mancipiis, in liberis locum non habeat; in iis, quos modo dixi, omnium liberrimis nequaquam ferri debet. Fieri enim non posse, aut, si cui hoc verbum durum videatur, rectè fieri non posse existimandum est, quod homine indignum sit, vt pænè ipsum se ipse exuat: quod cum de mente & actionibus humanis statim intelligatur, ad vitam quoque ipsam, siue ad ipsum corpus pertinet. Nam alimentorum lautitiæ varietas & copia, cum paullatim vires corporum eneruent, tum morborum inducunt alios atque alios temperanti numquam ferè metuendos, febres, podagram, arthritin, hydropem, & graues & frequentes capitis dolores, vertiginem, ipsius mentis aberrationem, & tot tantaque, quæ nec ipse nouerim, nec nosse admodum laborem. Medici hac in parte monent, deterrent poëtæ, vt de præceptis sapientum nihil dicam. Refertur Antiphanis, medici Delii, verbum, qui non minimam esse morborum caussam, siue primus

dixit, siue quotidie in ore habuit, in varietate ciborum. Noti sunt Latini poëtæ versus per quam nobiles, ac proinde digni memoria, non psittaci, sed pueri & principis, qui ita prorsus sentiat, ita viuere adsuescat; nec vnquam aliter cœnet, quàm ratio ipsa & natura iubet, cum graui interminatione, ni dicto audiens sis, vt pœnam deprecari frustra inducas in animum.

Accipe nunc, inquit, *victus tenuis quæ quantaq; secum*
Afferat, in primis valeas benè. Nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit: at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita: vides, vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia! quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægrauat vnà,
Atq; adfligit humo diuinæ particulam auræ.

Demus, ingluuie & luxu nec corpus grauiter affici, nec conturbari animi facultates; at vitam, rem vniuerso auro & omnibus gemmis pretiosiorem perdere, indignum est vnoquoque nostrum: tempus intelligo, cui parcere identidem iubebat Thales. Quod si cui temporis quoque iactura vilis sit, eum pudeat, ex homine bouem, vtrem & gurgitem deniq; fieri. Dixi impediri actiones, non tam eas, quæ sunt operarum, vix ita propriè dictæ, cum pro instrumentis plæriq; sint, sed nobilissimas & subtilissimas mentis, & virtutes quæ in vita valent. Hinc illa non vnius rustici adolescentis, sed multorum querela impudens atque eadem turpis confessio:

neque

neque pes, neque mens satis suum officium facit. Nec enim tantum de intemperantia, quæ cibi, sed & de altera, quæ potus est, loquor: sed vini mentionem fecisse satis sit. Constat enim omnibus, quantum in vino siue ebrietate mali sit: vtinam eam mortales ita fugiant, vt detestantur, ac fugiant in primis, quos sanctissimam vitam agere, & virtute cæteris mortalibus præstare oportebat. Verùm ipse mihi latius euagari videor: qui non nisi de diæta adolescentum principum aliquid verborum facere instituerim. Non solùm habentur delicatius filij à matribus, quas minus reprehendo, quod mulierum ferè vnius modi ingenium est omnium, tam pauperculatum, quàm felicium, vt tenerius ament filios & iis ferè in omnibus magis quàm patres indulgeant, & existiment, se singularia materni amoris argumenta declarasse, si quæ filiorum corpori suauia sint, præstiterint & procurarint. Sed & aulæ leges ita iubere videntur, vt in omni varietate & copia delicatissima quæq;, nec sine splendore & pompa, quo magis adhuc sensus occupentur, apponantur tenellis & per ætatem vitæ mollioris ignaris principum filiis. Hoc si fiat ex interuallo longiusculo, aut à plusculis saltem diebus, verbum non fecero: fit autem quotidie, nec solum in prandio & in cœna, sed producto in lucem somno ientaculum corrumpi nefas est, principem perire, pietas: neque non aliis horis, quoties libeat, quasi animā agat, fertur, quod edat, quod bibat, sine fame, sine siti, quasi hæ ipsæ non bona naturæ sint, sed morbi graues: cumq; illæ officio

ſuo fungi vetentur, ſubrogantur irritamēta quędam gulę, à quibus vt peſtibus quemq; ſibi cauere iubebat ſapiens Sophroniſci filius: iubebat illas monitrices expectare, aut ſi liberet, arceſſere non inſuaui ambulatiuncula. Interea autem verba fieri de pietate, de virtute, de litteris, nullo, aut paruo, aut lento profectu, querimur & miramur. Sed hæc vt conueniant, immò quantopere diſcrepent, modo videro: referam prius diætam multorum academicam, quo non niſi doctrinæ cauſa omnes ſe venire profitentur: nec id profecto, vt acerbè aliquid carpā, vt calumnia hanc libertatem interpretari ſolet, ſed vt indicium faciam erroris, quem ipſe grauiorem exiſtimem, quàm vulgo exiſtimetur. Certè verò qui in academias veniunt, quæſitum apud nos lautitias & voluptates, in hoc ſuo genere non leuiter alucinantur, mea quidem ſententia. Nonnullæ enim Germanicæ ſunt locis inamœnis, in obſcuris oppidis, vbi magno viuitur & graui pretio vix mediocria vęneunt. Nihilo tamen temperantius ibi viuunt fortunatorum hominum filii: putatur etiam decere is triclinii ſplendor adoleſcentes principes: & videtur ipſa ratio pro ſplendore contra ſordes loqui. Luxum enim magnificentiam, victum tenuem ſordes interpretantur. Magnificum autem ſatis ſit, ſi vocetur interdum hoſpes, qui bonis præceptis, recondita hiſtoria, lectis ſalibus menſam erudiat, aut, vt cæteri, ſymbolam à muſis conferat: ſobrius idem abeat: vt poſtridiè iis, qui cęnę pridie interfuerāt ita tum ſapiat, vt nobilitata illa Platonis Atheni-
enſium

ensium duci Timotheo. Non est, quod nobis blandiamur ciborum deliciis, suauitate vini, vt voluptatem magis, quàm necessitatem secuti videamur. Copia autem vitanda & auersanda cum primis erat, quam singulari studio affectamus, præsertim in conuiuiis, non solum ferculorum, sed in singulis ferè lancibus, vt pænè assos boues, qui & olim à barbaris in prouerbium abierant, apponamus. Talia principum tenellorum prandia, tales esse cœnas non oportet, quos & à voluptuariis conuiuiis semper abesse expediat, in quibus præsertim liberius bibitur, aut etiam amplius. Ea vita relinquatur sponsis Penelopes, qui eo nomine tot sæculis infames passim proponuntur, vt exempla perditæ adolescentiæ, aut Phæacibus, vitam in perpetuo conuiuio agentibus, qui etsi in escis & vino vitam ponebant, tamen non leguntur, statim ab ineunte ætate ita corrupisse filios, aut Sybaritis, qui cum vitam in incredibili luxu & perpetuos dies festos agerent, in vna voluptate determinatis omnibus, in certo exitio suum, suorum omnium & suæ ciuitatis finem facilè vnoque die inuenerunt. Frustra verò quis dixerit, præsto esse, qui pueros in medio luxu, verbo & auctoritate coërceat. Infausta sanè sit correctio, qua quis ad id quod facere verbo prohibetur, exemplo magis incenditur: quæ deinceps cupiditas custode remoto vel repente, vel aliquando erumpit. Quod enim magistro præsente, & ea ætate, nõ licuit, id sibi illo absente, vel non multò pòst, sumunt eò cumulatius, quo maiore desiderio: quod cum fit,

præcepta ſubito euaneſcunt ex animo, abiiciuntur litteræ, ſi quas fortè metu tractauerimus. Exemplo ſint principum pueri, in eodem ludo educati: eorum enim quotuſquiſq; ad frugem alicuius ſaltem eruditionis peruenit? quæ adeò cauſſa eſt, vt qui litteris filios imbui velint, alibi eos potius, quàm cum principum filiis educari iubeant: iidem tamen in principum contubernio maximè proficiant, tum in litteris, tum in primis virtutibus, cum ampliſſima & certa ſpe honorum & fortunarum, ſi eleganter abſq; odioſa pompa in victu tenui educentur. Namque probi magiſtri libenter pueris gratificantur, cum pueri illuſtribus ſuæ diſciplinæ alumnis exemplo ſint & inuitamento. Quid ni etiam, cum & beneuolentiam demereantur procerum, & eorum, quos docent, amorem? Vltimo loco numero, quod ſunt qui primo, reportaturos eoſdem non nihil præmii, nec vnius generis. Non ſolum enim aurum ſit pro præmio, ſed & commendatio. Nec nuda enim ſæpè eſt, ſed beneficia iis comparat, quos laudamus. Namque & multa laudatio commendationis vim habet, nec abſque laudatione fit diſerta commendatio. Alterum ipſe interdum miratus fui, in tam ſupina ſiue negligente educatione principes profeciſſe in litteris, & nihilominus deinceps fuiſſe deditos temperantiæ, nec ferè quicquam magis exoſos, quàm impuros eiuſmodi & in mancipiis animanduertendos mores: an hoc facit naturæ bonitas? an aliquando doctrinæ ea vis eſt, præſertim quæ ſæpe occinitur? an ſæpe tantum vitii o-

dium

dium nos capit, (videor enim mihi & hoc accepiſſe à vitæ humanæ non imperitis cultoribus) quod deteſtari pueri cæperimus? an principes vſus docet, in cunctis virtutis actionibus & omnibus negotiis nihil eſſe magis noxium, quàm ante omnia ſeruire corpori? Profecto enim qui hoc faciat, is & animi curam negligat & negotia, aut, ſi qua aggrediatur ſupinè tractet, neque ſatis conſideret, quę neque rectè conſiderare cæperit neque etiam poſſit, quamdiu appetitus animo imperat. Etſi autem eæ cauſſæ vel earum vna atque altera mouere aliquam poteſt: tamen omnes æquè lubricæ ſunt, vt earum nulla niti debeamus.

Cap. V.

Quo victu à puero Princeps rectè vtatur.

EA igitur via ingrediendũ dixerim, quæ cum tutiſſima, tum rectiſſima ſit, quam videlicet ratio monſtrat, vt qualem olim hominem nec velimus nec eſſe expediat, talia neque facere neque oculis adſpicere ſinamus, qualem eſſe virum optemus & ex re ſit, in iis religiosè ducamus & perpetua cura cuſtodiamus puerum, donec & cuſtos & dux ipſe ſibi eſſe poſſit. Dicat quis, non decere tam humiliter & duriter habere principum tenellos filios, inauditum deniq;. Frequentatum fuiſſe, & frequentari, nec vmquam ſecus fieri, ſatius ſit. Sunt tamen exempla belli ducum præſtantium, & eſt Cyri maioris, qui ob magnitudinem rerum geſtarum eſſe poteſt vnus pro omnibus. Non fuit autem ille,

quamuis regis filius, educatus aliter, quàm illius fortissimi sæculi Persæ, nec illi de plæbe, sed primo loco nati, primiq; futuri & in rep. & in militia, vt primùm adoleuissent. Ita minimum indulgebatur & impuberibus & adultioribus, vt æquè omnibus vitio verteretur, si sudarent, si exspuerent: vnde enim hoc fieret, animaduertebant. Non minus Cyro nasturtium cum pane pro cibo, aqua pro potu erat, quàm cæteris ipsius æqualibus: nec dubitatur, illos iucundè & benè & edisse & bibisse, multoq; & iucundius & melius, quàm quibus struices lautitiarum ante oculos stant, & funduntur tam calices capacissimi exuberantes, quàm minuta pocula torantia. Erat ille Persarum liberis ludus laboris, vigiliarum, temperantiæ, fortitudinis, iustitiæ: ex quo denique viros bonos & prudentes & seruatores patriæ & ipsi exspectabant & prodire necesse erat. Proferam aliud exemplum, nec omnibus obuium. Themistius scriptor sapiens & disertus educationem Valentiniani Valentis F. laudibus in cœlum euehit, qui puellus admodum ad Istrũ idque in niuibus Scythicis, eodem cibo, eodem potu nutriretur, quo & pater imperator & milites vterentur, minimè verò delicijs Persicis (tum enim Persia multum à vetere illa degenerarat) nec vino Cretico, sed quibus cum aleretur & corroboraretur corpus, nec animus effœminaretur. Et illud autem & hoc cum nemo non qui audiat, cum plausu probet, quis tamen æmulatur? quis æmulandum disertè proponat aliis? quis audiatur quidem, nisi molliter incedat &

nego-

negotium obſoletum,ſiue,vt hodie ſentiunt, nouum nouis gratiſque coloribus pingat? tanta vis eſt inueteratæ conſuetudinis & opinionis à populo conſtabilitæ. Neque tamen vulgus rationis penuria laborare videri velit. Habent enim quod obiiciant, hoc in aliis, quod & ad ſequentem locum non minus quàm ad hunc pertinet; oportere quæque fieri ex dignitate principis, tenuia tenuibus,humilia conuenire humilibus,nõ lautè ſolùm & eleganter,ſed & copiosè,ſplendidè, magnificè accipiendos regum filios. Præter dignitatem illa ętate principis nihil omnino fieri oportet,ſed quæ aliorum omnium cuiuſcunq; conditionis hominum ſunt, ea ipſo genere non minus principum eſſe, quàm naſci & mori, oſtendere in promptu eſt. Nam ſi opus facere ſeruuli ſit, excubias agere militis; nihilo minus labores tolerare cum primis, & totas noctes inſomnes agere & regis & imperatoris eſſe primus magiſter virtutis nos docet: ait enim neque regem neque ſenatorum aliquem decere totam ſomno traducere noctem,

Cui populi commiſsi & tanta negotia curæ.

De frugalitate verò in victu iam exempla dedimus & probata ornataque ſuis laudibus oſtendimus, quæ & in hunc diem reprehendit nemo, nec reprehendet qui ſanæ mentis erit. Iis, ſi libet, annumera priſcos heroas, qui poſtea Argonautæ dicti fuerunt: ſic enim eos ille optimus educandi artifex Chiron educauit in monte Pelio:ſic educati fuêre in Phiditiis Spartani ex legibus Lycurgi; ſic educatus fuit populus Roma-

nus victor gentium & triumphator orbis. Hoc ex vetere historia Romana passim licet cognoscere: mihi libet ea de re ex Posidonio interpretari, quæ memoratu digna retulit Athenæus. *In patrijs institutis*, inquit, *Romanis erat laborum tolerantia & victus tenuitas, & cæterorum, quæ in bonis habebant, vsus simplex, nec superuacaneus: admirabilis præterea in deos pietas, & iustitia, & magna cautio, ne quid peccarent in quemquam mortalium, cum simul etiam agriculturam exercerent.* Coniunxit ambo philosophus, de quibus hic agimus, nec obscurè indicat, absque iis, nec pietatem, nec iustitiam coli in cœtibus hominum. Idem primos Italiæ incolas, paucis necessariisque contentos, non adeo multa desiderasse scripsit, quòd quibus ad victum omnia suppeterent, ita filios educarint, vt aquam plærumq; biberent, & vescerentur præsente cibo, *ac sæpe*, inquit, *pater sive mater quærebat ex filio, pirane an nuces ad cœnam mallet, & hic, sumpto alterutro contentus, ibat cubitum.* Hæc Posidonius. Erat ergo, vt dixi, populus Romanus victor gentium & triumphator orbis, quamdiu in illo victu & moribus perseuerauit, nihil declinans ad hodie receptum à multis sæculis in plærisque gentibus modum. Sed victu, etsi hoc, si temporis ordinem sequamur, ante dictum oportuit, nec tamen vel hoc loco positum minus ad sententiam nostram facere existimetur: victu igitur quanto fieri potuit tenuissimo vsus fuit Pythagoras & eius disciplinæ sectatores, quos non solùm restituisse remp. Crotoniatarum, sed & res magnæ Græciæ iustissimè admini-

ſtraſſe, è quibus ipſi priuati emolumenti nihil neque peterent neq; caperent, accepimus, quamdiu coniurati ab iis vim abſtinuerunt. Cum autem omnes temperantiſſimè viuere iubebat Pythagoras, tum eos potiſſimùm, qui magiſtratum gererent, qui conſiliis ciuitati præſto eſſent, qui ciuibus ius dicerent, quin & eam ob cauſam ipſis interdicebat eſu carnium.

Cap. VI.

Tenuem victum non obſtare magnificentiæ, & quantum in luxu ſit mali.

NEc putet quis, tenui victu excludi filios principum per diſciplinam magnificentię: namque ſic eam intelligere, vt & cæteras virtutes, diſcent rectius, & eius exercendæ neque tum nullæ ſunt rationes, & vna eſt minime negligenda. Ipſæmet muſæ & docent & exſpectant beneficentiam: habet enim nulla non academiarum alumnos ingenio bono diuites, paucos in re lauta: & ſunt in iis ipſis, qui patrimonii anguſtia non laborent, quibus tamen domo ſumptus neceſſarius nimis quàm parcè præbeatur. Hoc eſt ex dignitate regio orti loco, & decet adoleſcentem principem, qui ipſe viuat in litteris, de quo potiſſimum ſermo eſt. Sunt verò ex eiuſdem dignitate non minus, quæ, vt explicentur, in animos populares non penetrant. Regium eſt primùm, ſi audiat, quod verbum in ſe multa complectitur, ſed præcipuè tum diſcendi cupiditatem, tum obædiendi volũtatem; ſi capita pietatis noſtræ nouerit, & pietatem non in ore, ſed in men-

te habitare & eam in actionibus elucere oportere sibi persuadeat; si bonos scriptores legat quotidie & ex iis multa meminerit, quibus semper in vita priuata, aliquando in consiliis & gerenda rep. vtatur; si & historiam legat, tamquam alteram vitæ & ciuilis administrationis informatricem; si sciat, vbi terrarum ipse sit, & quæq; gentes quas regiones incolant, peregrinetur mensæ assidens per orbem ipsum eiusq; partes in tabulis illis; si cælum aspiciat, etiam norit quædam illorum luminum cælestium, in qua contemplatione non potest non quoq; sursum ferri mens nostra ad tantę arcis regem & imperatorem vniuersi, minimùm, quod absque cælo ne hæc ima quidem licet cognoscere. Sunt his paria multa, quæ indigna illa ętate principum nemo dixerit. Namque omnium studiorum indicem hic non facio; neq; excludo liberales ludos, vt sunt scacchiorum & pilæ; minus illa corporis, quod exerceri quotidie liberaliter oportere & ipse contenderim. Verùm nec illa omnia, siue nihil illorum omnium in aliqua parte luxus coli rectè posse in confesso est: de quo tamen si quis aliter existimet, ad artes minimi momenti & vilissimas quasque operas respiciens, se omnibus exemplis refutatum intelliget. Infame genus hominum & bonis inuisum, iuuentutis pestes & reip. dedecora, parasiti, omnis virtutis, omnis officii & minimarum artium ignari, in luxu sua fraude, aliena pecunia vitam agunt, quorum similem nemo nisi ipse perditus, filium suum esse velit, nec iis, quia tam perditè viuunt, ad officium &

vllam

vllam functionem virtutis vnquam datur aditus. Quid autem non est in licentia victus mali? imò quid in ea esse potest boni? Namque ex ea mendosa admodum voluptate declinant paullatim & tandem ruunt in alias, fœdas, detestabiles, exitiales, irascuntur impotenter & temerè, vel leui vel nulla de caussa, temerè de rebus constituunt, non inito antè cõsilio, aut inter deliberandum rerum momenta non ponderant, nec rationes cum rationibus componũt. Non igitur moderatè se in vita gerunt, nec in aduersis fortiter, nec in commerciis & negotiis iustè, vt nihil dicam de prudentia. Quod si virtutum primæ lineæ ducantur, aut ductę fuerint in animis adolescentum, vt quodammodo intelligant quę turpia sint, quæ honesta, illa auersentur & fugiant, hæc probent & faciant; in tanta corporis pascendi licentia siue indulgentia, quę à luxu abest proximè, & leuissima occasione rupto disciplinæ retinaculo in luxum transit, facilè obliterari videre est, vt ne quidem vestigia appareant. Potest vnus adulator vel parasitus vno die euertere omnia, in quibus constituendis tot annos antè laboratum desudatumq; fuerit. Quî non enim? fluctuante adhuc animo ob perpetuam in victu remissionem. Confirmari ille in rebus bonis non potest, in ipsa luxuria, in deliciis, in mollitie: at potest in parsimonia, continentia, seueritate & sobrietate. Cum his sunt verecundia, pudor, reuerentia, modestia, & quidem ipsa non simulata. Ex hisce virtutum signis, siue principiis, siue primis gradibus, ad ipsas virtutes adscenditur.

CAP.

CAP. VII.

Quam necessaria sit Principum filiis temperantia.

QVid multis? Omnia huc redeunt, vt victu commodo, simplice & modico omnes homines educari oportere videatur, nec minus principum filios, immò verò hoc magis, quò eos & in pręsentia plura grauioraq; addiscere, & deinceps plura difficilioraq; gerere oporteat. Nam quæ antè strictim attigi, & multô plura, non delibare tantum, sed plenius cognoscere oportet, & in quibusdam eorum perseuerare, si iidem esse ipsi aliquando, qui audire volunt, benignissimi, clementissimi, illustrissimi, serenissimi, optimi, maximi, pastores potius & custodes, quàm domini gentium, patres patriæ. Ad percipiendam tam multiplicem & augustam disciplinam regiam ab initio & animum flecti & mores oportet, vt in omnibus cæteris, è quibus sibi quis parare laudem, aut aliis præstare desideret. Hoc diuinitus viderunt sapientes, idque perquam pulchrè ad artem medicam accommodauit Hippocrates. Prima est indoles, quæ heroicum quiddam spiret: ad eam si ab ineunte ętate longo tempore artem adiicias & nihil non laboris exhaurias, tamen nihil proficias, si mores studio aduersentur, si in quo sit petulantia, impudentia, fastus, sordes, linguæ incontinentia, gula, vinositas, somnus, alea, & quæ præterea huius generis sunt, quæ singula si non sunt notæ viri mali, argumenta non boni esse fatendum est. Qui se vel eorum aliquibus vel vni mancipârit, rei seriæ & arti

arti honestæ numquam ita simul incumbat, vt ex ea solidam sibi aliquando laudem paret. Primum enim, qui illis studiis vel eorum alicui deditus sit, ne plebi quidem carus, nedum bonis & præstantibus viris admirationi esse & totus placere possit. Quod autem idem talibus impendit temporis & cogitationum, id si dematur studio quod se quis colere præ se ferat, numquam præstantiam eius artis, quam ex aliqua parte negligat, assequetur, ac proinde sperata quoque laude culpa sua excidet. Cum igitur absque honestate morum & animi probitate nihil laudabile & perfectum comparetur, quid de sapientia & virtute dicemus? an in earum possessionem perueniant qui in luxu educentur? nam qui lautitiis & copiæ hoc nominis non tribuet, rem ille relinquet tamen: quod hinc facilè appâret, quando ita enutritus nec vsitato alimento nec exiguo contentus sit, sed & alia atque plura semper expetet: an non potius alius & multum ab illo diuersus, quem intra metas temperantiæ semper coërcueris, quique ita adsuefactus, alia nec petat, nec desideret, sed si inferantur, etiam fastidiat, ne mancipiis quidem quidquam eorum inuidens? Hic enim intelligat animi curam esse potissimam, & in re ipsa experiatur, qui animi curam potiorem habeat, & vix aliquam, neque nisi necessariam corporis, hunc corporis curam potius habere, quàm illum, qui in ea totus occupetur & omnia agat, vt ipsum solum foueat & molliter delicateque habeat, & quod in ipso est, beet. Hic enim & animum negligit huma-

num, immò omnem exuit, & corpus eneruat, morbis dedicat, & morti dedit; alter ille in incuria corporis, (legitimam enim curam ita mihi modo nominare liceat) curat ipſum corpus feliciter, ab eo morbos abigit, valetudinem tuetur & confirmat, vitam producit, nec mortem extimeſcit, vt qui non tam corpore & ſenſibus, quàm animo menteq; viuat, & maiorem certioremq; ſpem penes ſe ipſum in omnibus fouet, metu omnium euentuum remoto ſiue domito. Idem breuis ſomni cum ſit & multarum vigiliarum, laborum nec fugiens nec inſolens, moleſtiarum abſque moleſtia tolerans, animi tranquilitate & mentis puritate præditus, nec animi perturbationibus tranſuerſus agitur, nec capitur leuium voluptatum illecebris, nec diuitiarum, honorum, imperii cupiditate incenditur, de omnibus melius diſpicit, quæ ſunt omnia temperantiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, & non ſolùm priuatæ vitæ & rerum, ſed etiam ſalutis publicæ moderatricis & cuſtodis prudentiæ. Earum virtutum omnium & huius cumprimis, principi ſummè neceſſariæ, (quid enim abſque copia conſilii princeps aut ciuitas?) cum nemo mortalium particeps fieri poſſit in ſtudio & conſuetudine rerum, quas gula corpori expetat & palatum probet; certe contrariam rationem ſequi nos oportet, nec tum demum, cum ſenſus ſiue calamitas neceſſitatem indicat, quando hoc nimis ſerum foret, fieriq; non poſſet, inueterato iam malo altero; ſed in principio in prima educatione eorum à quibus ſalus populorum dependet, quiq;
eam

eam nobis & pollicentur & debent. Quod non solùm ad priuatos, qui de capessenda aliquando rep. cogitant, sed multo maximè ad principum filios pertinet, tum ne ipsi consilii penuria laborent, tum vt in eius etiam copia, quam vel in promptu habeant ipsi, vel ab aliis petant, quod rectissimum & optimum sit deligant; quod ipsum haud paullò difficilius est, quàm adulterinas gemmas à sinceris discernere: ac si in hoc genere non falli referre creditur, quòd qui aberret, grandis pecuniæ iacturam facilè faciat, multô profecto magis intersit in altero non alucinari, vbi semper ferè de grauissimis negotiis, sæpè agitur de summa reipublicæ. Quanto autem difficilius est, virtutum omnium arcem occupare, prudentiam dico ciuilem siue regiam, quam neque falsò diuinam dixeris, hoc accuratius & prius matureq; omnia paranda censeamus, quæ ad illam parandam requiri posse videantur, neq; quidquam prætermittendum, nedum intromittenda ea, quæ virtutibus obstent, & cæterarum magistram & reginam excludant in perpetuum. In vtramq; autem partem valere plurimum primæ nutritionis & deinceps victus rationem, neque tu dubitas, & quoniam hunc sermonem ingressi fuimus, satis ostendimus: etsi me non fugit, de his non solum vberius & luculentius dici, sed etiam subtilius disputari posse. Multa etiam super hac re apud Platonem legisti, cuius illustris est hic locus, nec à primis scriptoribus neglectus, in epistola ad Dionis propinquos, quos etiam ipsos ibidem de administratione reip. fideliter

deliter erudit: ſublato enim Dionyſio, turbatis ſupra modum rebus, maximo opus erat conſilio. *Aduenienti autem*, inquit, *vita illa, quæ ibi beata prædicatur, Italicis & Syracuſanis menſis abundans, minimè omnium mihi placuit, & viuere bis ſaturatum in dies ſingulos, & noctem nullam cubantem ſeorſim, quæq; inſtituta huic vitæ ſimul comitantur. Ex illis enim moribus neq; vllus vmquam, qui ſub cœlo ſunt, mortalium, quamuis in id incumbat à puero, prudens fieri poſsit, neque ita admirabili natura temperabitur: nec verò futurum eſt, vt fiat temperans & moderatus: & verò etiam de aliis virtutibus eadem ſit ratio.* Forte & Iamblichum ſuper hac re rectè audiamus, ſiue ipſos Pythagoreos, quos ille de cupiditatibus ad hunc modum ſenſiſſe teſtatur, quem locum ſimplici genere orationis expoſitum, interpretari alio conari non debeo, *plæraſque humanarum cupiditatum eſſe adſcititias & comparatas ab ipſis hominibus; in hoc igitur affectu plurima cura opus eſſe, & cautione & exercitatione corporis ſingulari: exinanito enim corpore alimentum appetere naturale eſſe, ac viciſsim eo repleto appetere inanitionem naturale item eſſe; ſed appetere nimis exquiſitos cibos, nimis exquiſitam, ſiue quamcunque aliam, ſiue ſtragulam veſtem, aut nimis exquiſitam & ſumptuoſam & variam domum, adſcititium eſſe; eandem eſſe rationem de quacunque ſupellectile & poculis & famulis & pecudibus menſæ deſtinatis: in vniuerſum autem, quod ad affectus humanos, eorum hanc ferè eſſe vtplurimum rationem, vt nuſpiam conſiſtant, ſed progrediantur in infinitum; quare ſtatim à prima ætate curam agere oportere adoleſcentium, vt appetant quæ fas eſt appetere, fugiant vanas affectataſque cupiditates, nec tali genere appetitionum*

num turbentur aut inquinentur, immò despiciant, & eas, vt iure contemnendas, & homines obstrictos cupiditatibus; maximè verò animaduertendas vanas illas ac noxias & affectatas & contumeliosas cupiditates, quibus obnoxios videmus, qui potentia plurimum & auctoritate valent. Hæc & alia de Samio sapiente profecta cùm ad quæ diximus, tum ad ea, de quibus agemus, non nihil pertinent; ac videtur mihi vtraque aberratio hisce verbis notari. Vides Abr. Belline, vt antè multa dixerim, & forte verbosè nimis, cum his sapientiæ decretis consentanea, quæ tamen ipsa vberius hic explicare & enucleare, quæque ad rem faciant, mihi in promptu sit; sed vt modum seruem, iubebo lectorem ea considerare accuratius: ad te enim nec noua oratione nec monitis opus est. Cum autem ea ad omnem ætatem pertineant; & iis animaduertenda sint, qui clauum reip. tenent; tum ad hoc quod agimus, cumprimis facere, facilè abs quiuis intelligitur. Nisi enim statim à principio & quidem à puero benè formentur eius mores, & animus rectissimè fingatur, qui moderator rerum futurus est, nunquam eum habebimus; quem exoptauerimus, quemque vt præsentem Deum, certè ab vniuersitatis imperatore legatum, populi venerentur & longè lateque cunctæ gentes prædicent. Aut enim sequitur quod in vulgi moribus & in conspectu omnium positum est, aut, quod æquè fraudi est huic negotio, quisque quid in hac re maximè ex vsu sit, se acutissimè ipsum perspicere nec sibi cuiusquam consilio opus esse somniat.

CAP. IIX.

Quid de splendore aulico in vniuersum sentiendum sit.

TRanseo ad alterum, quod fortasse plærisque minus persuaserimus. Cum igitur ita sentiã, quemadmodum ostendi, filios principum esse tenui victu alendos, & in ea ratione diu omni studio retinendos, donec ipsi nihil aliud expetendum intelligant, & in hac, quid fieri oporteat, quod rectum sit, ipsi constituant; etiam omnem pompam regiam non solum ex eorum triclinio relegandam, sed, si fieri possit, ab omni eorum educatione remouendam existimem: pompa enim eiusmodi cum præsenti instituto officit, quando oculos & animum à multò meliore cura considerationeque doctrinæ & virtutis identidem auocat, & nescio qua specie illectos facilè diu oculos & animos detinet, tum eò allicit & sensim traducit, quô ire eum nolimus, nec ex vsu sit, penes quem summa rerum aliquãdo futura sit, quod deinceps explicabimus. In ore omnium est, quod idem omnibus innotuit, in vita quæ præter rem sint magis ab hominibus frequentari, quàm quæ ad rem pertineant: neque hoc tamen ab omni parte reprehendi posse videatur: multa enim, quæ in re ipsa non sint, & ad eam foris accedant, si omiseris, minus profeceris. An non plæraque succinctis verbis exponamus, quod sapientes Spartani in moribus habebant, vnde & Laconicè loqui dicebantur, qui breuissimè & optimè? Verum nos his moribus

& eo

& eo pacto raro finem propositum assequamur, quem ne sic quidem queamus assequi. Nam, vt dicam de iis, quæ modo scribo, nequaquam ad te tam multis opus erat, quibus tamen apud quosdam alios parum obtinuero, ac forte ne quidem pluribus. Vt autem & cætera in vtramque partem sunt euidentia in regiis, ita & ea ipsa, quæ præter rem siue superuacanea non abs re dixeris, quòd ad munus regium per se nihil conferant. Non dicam de aulis, qualem poëta Menelai pingit, quam ingressi Telemachus Vlyssis & Pisistratus Nestoris filii attoniti admirabantur,

Χαλκοῦ τε στεροπὴν καὶ δώματα ἠχήεντα

Χρυσοῦ τ᾽, ἠλέκτρου, καὶ ἀργύρου, ἠδ᾽ ἐλέφαντος,

& cum intima Iouis aula comparabant: sint enim illa regum palatia. Nec de satellitio. Habeant enim custodes corporis, qui cum ius æquum dicunt, iniquos, capitales & perpetuos hostes habent. Est diadema, sceptrum, purpura, aurum, vestis, prælibationes, prægustationes, adorationes, ἐκστάσεις: est verborum solemnitas, in quibus si impingas, de imperita viliq́; plebecula vnus, aut iniurius & in principem impius habearis: nam & alius sermo aulæ est, quàm vulgi, vt alius deûm apud poëtam, quàm hominum. Haud scio, an hæc omnia quis rectè & citra grauem reprehensionem in superuacaneis recenseat, in quibus quædam aut sunt, aut putantur necessaria: immò vulgus in his vim regni & imperij maiestatem sitam esse sentiat: nec ego hoc nunc disputo, quando ad institutum

non proximè pertinet. Talium cærimoniarum(liceat enim mihi & hoc verbo hac in re vti)aut minimum aut modus fuit apud optimos reges & imperatores maximos: & quamquam in aulis obſeruantur,tamen apud principes prudentiores in primo pretio non ſunt: & habeo, quos nominem, niſi alios reticendo hac laude priuare aut ſubaccuſare videar. Et autē rationes ſunt & exempla aliquot ſæculorum & gentium perſuadent,non ea eſſe de nihilo omnia, & quædam neceſſaria, ſaltem in certis populis. Sunt enim toti populi; & in cæteris quidam hominum, qui, vt vmbram aſpicere, ipſum autem iubar ſolis non poſſumus, ſic cum rationes & leges videre & intelligere nequeant, μορμολυκείοις quibuſdam ſiue externo ſplendore ad obœdientiam & officium permouentur. Per vniuerſum autem orbem ceremoniæ ſacrorum ſunt & ornatus ſingularis pontificum, vnde fortè primum ad principes hęc demanauit ratio;quod eô magis factum ſuſpicor, quoniam priſcis ſæculis iidem & ius dicebant & ſacris præerant. Quid ni etiam,cum maieſtas ſit in magiſtratu, & in ſummo maxima, ſint quædam eius notæ,quæ incurrant in oculos hominum? quibus qui penuria iudicii laborant, excitentur, & interdum erudiantur. Sed hæc mihi attigiſſe ſufficiat, de quibus docere proprii loci eſſe exiſtimem. Vtut autem hæ pompæ ſeſe habeant, eæque ſiue omnes ſiue aliquæ in aulis ſint neceſſariæ, in iis, quæ ad educationem regiam conferant, nihil ferè, quod eam adiuuet; quod eidem, primæ

præ-

præſertim, obſit, video plurimum. In aliis autem, ſplendor putatur eſſe in amplitudine familiæ, nec ego negarim. Nam, cum honeſtum, tum neceſſarium eſt locupletibus, plures domi alere: idque maxime decet principes, & qui cum in aliqua dignitate ſint ſumptus tolerare poſſunt: namque viles homines, qui greges ducunt, ridiculo ſunt; & hoc magis, quod ſimul Thraſonicum quiddam ſpirant, quod fieri aliter non poteſt. Parum enim aut non ſatis inſtructi à pecunia in amplum comitatum, & comitatus eiuſmodi comitem luxum, breui profundunt quicquid vel in lauto patrimonio fuerit. Video etiam prudentes principes hac in re modum ſeruare, cumque in aulas multi vndiq; quotidie cum inuolent, tum irrepant, tum accerſantur, minuere familiam ex interuallis: curæ enim ſibi habent, ne neceſſariorũ penuria laborent, & non bonos, qui cenſentur vulgo maximè vtiles, retineant. Eſt enim ita, quod celebratur, nec in multitudine, nec in magnitudine eſſe bonitatẽ, ſed ſatis multum magnumque eſſe, quod rei vel homini bonum ſit.

CAP. IX.

Quam vtile ſit contractam regiorum puerorum familiam eſſe.

PORRO quæ adulto principi in hac parte ſic conueniunt, vt præteriri nullo modo debeant aut poſſe videantur, niſi citra vtilitatis vel dignitatis ipſius iacturam, ea nulla fere ex parte in educatione filii principis æmulanda cenſeam,

ſed

ſed ſingulari cura videndum, vt in ipſius ſodalitiū & pauciſſimi & lectiſſimi pueri adſciſcantur. Non eſſe quoſcunque æquales ferendos cum liberis nec ii videntur ignorare qui guſtum ſaltem aliquem honeſti acceperunt: nam patresfamilias mediocres, nec prorſus profligatæ ipſi vitæ, in liberorum conſuetudine non ſolum non ferunt mancipia furacia, libidinoſa & enormibus vitiis dedita, ſed neq; bibula, guloſa, garrula, leuicula, fraudulenta, ſomnolenta, blandula, moroſula, ac nequidem vultu turpia, ſordida, balba, ſed cum iis eſſe ſinunt, ſi quis ſeruulus eſt probus, ſimplex, honeſtus, elegans. Monet hoc ſedulò Plutarchus in graui libello de liberorum educatione, qui in omnium manibus eſt & meretur eſſe: etſi pauci admodum ea præcepta conſiderant aut intelligunt, pauciſſimi tam in hoc, quàm in aliis ſequuntur. Fateor, non minus videre principes & intelligere præ aliis, cum hæc, tum pleraque præterea: quis enim principum non antecellit ingenio omni fere multitudini, aut non didicit è diuturna vitę conſuetudine quid expediat? Verum neſcio, qui fiat, vt gratioſorum interdum maior, quàm filiorum, qui præſidio ſint aliquando futuri ſuis populis vniuerſæque Germaniæ ratio habeatur. Regium quidem eſt, non facile quid negare, quibus velis, ſed paterni nihil habet, largiri quod ſaluti filiorum aduerſetur. Itaque in aliis beneficiis gratiam profundere aliquando laudi detur, hic eam contrahere regibus liceat, & ni fallor, oporteat. Namque etiam hac in re cautiſſimum fal-

li in-

li interdum euenit : ſunt enim quædam naturæ ſimulatrices probitatis & malitiæ occultatrices mirificæ, quæ tandem tamen ſe malo ſodalium, quibus noxiæ fuerint, produnt. Noui verò principes, qui non ſolum in hac parte nihil, ſed neque in cæteris quidquam negligant, nec ſolùm pauculos lectiſſimæque indolis pueros adiungant filiis, ſed & ab hoc ſacro ſodalitio arceant, quotquot inferre aliquid malæ contagionis vel moribus vel verbo videantur. Illa verò ipſa paucitas non ſolùm eſt diſciplinæ regiæ accommodatior, ſed præ ſe fert etiam aliquid dignitati & ſplendori conſentaneum: nam quæ in oculis omnium ſunt minus admiramur, facilius contemnimus, deniq; faſtidimus, quamuis per ſe magna & fidem ſuperantia, ni forent ita familiaria, vt in hoc ipſo fieri videmus omnium viuificatore & illuſtratore, quē quotidie intuemur ſolem. Hoc igitur minimè reprehendam, quod fortè minus probet, qui ſe in animos tenellos inſinuare ſua cauſa cupiat, cuius generis ſunt non ſolùm otioſi & aſſentatores, ſed neque nulli, qui res ſuas ſuorumque amplificatas aliquando velint. Iidem vero Principes & de loco viderint, conueniátne primæ educationi aulæ ſtrepitus, an feruor academicus, an ille à frequentia remotior. Sanè & ſolitudo in aliorum animis admirationem ciet : neque tamen loci tranquillitas, vt nec hominum raritas, corrumpit animos è turbis ſecedentium; immò qui ſe humanarum diuinarumque litterarum meditationi præ aliis addixerint, & toti ſubtilium gra-

uiumque rerum inueſtigationi incumbant, longius & diutius à cœtibus reliquorum mortalium ſæpè abeunt, interdum etiam ſolitariam vitam in perpetuum colunt. Sed reuertar vnde digreſſus videar. Non poſſum autem facere; quin vna in re adoleſcentes principes, & qui iis in illa re conſulunt, valdè prædicem: plærique enim, quod ſatis eſt, eleganter veſtiuntur, cum contrà non pauci ex humilioribus, quos fortuna reſpexit benigniùs, tam panno, quàm ſumptu veſtem regiam æmulentur, quam tamen ſæpè forma ita dedecorant, vt magnificæ, vt ita dicam, ſordes appareant, teſtati animorum vilitatem, qui pecuniam præter conditionem profuderint. Nihil dico hic de vnionibus & gemmis & auro, quæ vel Perſas vel Sybaritas, magis etiam, quàm honeſtas mulieres decent: hæ enim ipſæ ſibi in mundo modum ſtatuunt, quæ præſertim de virtute ſui ſexus & cura rei familiaris cogitant.

CAP. X.

Quam contrà pernicioſum eos à primis annis pompæ adſueſcere.

SEd ad pompas ſiue cærimonias redeo, quas ego deberi regum filijs ita non nego, vt idē ante tempus perſolui non oportere cenſeam, prorſus vt puellulæ amator non conueniat, cui etiam iuſta ætate procus honeſtus optandus & ſponſus idoneus inueniendus ſit: nam tenellæ & pudicæ virginis aures amore & amoris bonis, quæ falſo putantur, perſonare non debent, ne animus talibus imbutus, eo præcipitet, quô impurus ama-

tor velit. Quæ similitudo si cui dura multumque dissimilis videatur, is cogitet velim, mulierem sibi & paucis perire, principem & sibi & populis & populos cum ipso vnâ. Certè enim præmaturè maiestatem discit & cum periculo, eamq; nihilo magis manu tenet, quàm ore offam carnis canis in notissima fabula. Signa enim illa maiestatis sunt, si quidem hæc præsto est, alioquin signorum potius vmbra, quàm maiestatis. Vtinam non sint illa spectrorum similia, quæ noctu iter ingressos abducunt in auia, & nisi fraude animaduersa viator vel pedem referat, vel subsistat, aut de rupe ipsum aut in aquas præcipitem dent: certè enim absque certa disciplina, siue ea petatur ex litteris, siue ponatur in sola adsuefactione, meræ tenebræ sunt vnicuiq; mortalium. Disciplina est ferè sola vel potissima, quæ homines à brutis, barbaros à cultis gentibus, homines ab hominibus, iterum ab hominibus reges, atque iterum reges à regibus discernit. Disciplina vitæ aurora est, philosophia sol; à quo autem & aurora & sol, ab eodem sunt & educatio & eius magistra, ne quis illud mihi sublegat sycophanta & malitiosè in vulgus & ad imperitos calumnietur: sic enim iam didicimus loqui, vt tali quasi flabello ligurrientes & omnia defœdantes muscas ab hac ambrosia sapientiæ abigamus. Cæterùm quas nomine cærimoniarum complectimur, eæ non solùm temporis & cogitationum, quæ impendendæ erant cultui regii animi nimium auferunt, sed furtim à disciplina proba in contrarium abducunt: qui

enim puer illis tenetur & illa magni facit, is quæ alterius generis ſunt facilè contemnit, aut negligit, aut obliuiſcitur. Animus enim dum occupatur illis quæ in oculos incurrunt, quæ in aures ſuauiter influunt, quæ cæteros ſenſus deliniunt, altera quæ propria mentis ſunt, non admittit, nec eius ſeſe radiis illuſtrari patitur, denique ſi quid, non niſi ſomnia veri cernit, quæ vel ſubito, vel aliquantò pòſt, vt fumus, in auras diſſipentur. Quî enim fieri poteſt, vt qui audiat, veritati, fidei, officio, virtuti, ſaluti publicæ eſſe poſtponenda omnia, & ſimul videat, omnibus momentis omnia ſplendidè geri, grata dici, non potius in hæc animum defigat, quàm in illa: præſertim cum altera remotiora ſint, & voluptate, quam prima ætas capiat, omni vacent. Minus hoc fieri arbitror, quàm vt quis naui fracta in littus proiectus, totus madidus, imbre præcipitante veſtimenta ad ſolem ſe ſiccaturum ſperet eodem illo tempore, aut in popina inq; medio vino potus ipſe inter potos præcepta temperantiæ ex ore ipſius ſobrietatis accipiat. Opiniones quidem quamuis abſurdas vi eripere aliis non poſſumus, præſertim inueteratas & confirmatas tot ſæculorum calculis: neque tamen nulli (cur enim deſperemus omnia?) rationes audient, easque non ſolùm cum conſuetudine, quod vnum eſt ex leuiſſimis argumentis, ſed cum rationibus, ſi quæ ſe forte oſtendant, comparabunt.

Cap. XI.

Quantopere id obstet disciplinæ, & ne vera, imò nec se ipsos nosse discant.

PErge verò, Belline, mecum considerare incommoda quædam, siue mala potius: nec enim omnia innotuerint, nedum ego ea dicendo persequi, aut cogitando diuinare valeam. An verò qui vtroque genere, quæ ego declinanda siue frangenda, si fieri possit, censeam, educati sunt principum filii, educationis litterariæ compedes à pubertate ferent? an non potius vel statim, vel paullò pòst, si vi non poterunt, at quacunq; arte, & per quoscunque, iugum disciplinæ abiicient? & se in ea libertatem, quam ita falsò nominant, vindicabunt? an non in ipsa disciplina, re abolita, nomine relicto, non audient quæ audient? non legent quæ legent? non discent quæ discent? non facient quæ facient? Quæ enim quis ingratiis faciat, non facere, quando facit, à quo totus abhorreat, existimandus est. Itaque quæ disciplina dicatur, re ipsa sit licentia. Ibi tum nec magistri rationes, nec præfecti auctoritas, nec patris imperium amplius valet: illa enim quæ sensibus seruiunt & adulantur non solùm sensus in suam potestatem redigunt, sed mentem etiam saniorem auferunt & subdititiam animo peruerso inserunt: iamque fieri hoc necesse est, quod dicitur, vt sit mala mens, malus animus. Non tollam hic clamores, vt in re magna oratores solent, quemadmodum perruptis repagulis, & quæ eius generis sunt: loquar omni-

omninò blandius. Vt è cauea, feneſtellâ reclusâ, auicula in liberum æthera quocunque auolat, nec à viſco, nec ab aucupis reticulo, nec ab vnguibus accipitris tuta; ſic illi, ſui, vt rentur, iuris facti, nec imperium, nec monita, nec præcepta, ſi qua meminerint, audiant: obliuiſcuntur enim omnia illa, nec iam ſeſe ipſi nouerunt, quod principium eſt vnicuique ad ſalutem. Qui enim ſe hominem eſſe non meminit, is nec fugit, quæ non ſunt hominis, vt omnia quę interdicit ratio, nec cogitat, quæ ſunt hominis, nec facit, quæ iubet ratio ſiue ſana mens: mens enim, vt ſapientes docent, homo eſt, nec ſenſus, nec ſi qua in nobis cum mente bellum gerunt. Vt autem difficillimum eſt, ſeipſum noſſe; ita prorſus in procliui, quam tui notitiam magno ſtudio, multo labore, acceperis, eam abiicere ſiue obliuiſci: res enim leuiculæ eam quotidie vel conturbant vel labefactant; vbi niſi te accuratè obſerues, tum te ſeruare nequeas, ac ne prorſus tui meminiſſe, ſi qua magna tibi obiiciantur, ſiue ea re ipſâ, ſiue opinione vel omnium, vel vulgi, vel tua in magnis habeantur. In primis recenſeamus, diuitias Midæ vel Crœſi, potentiam Xerxis, maieſtatem regum, imperatorum victorias, & triumphos, quæque horum vel ſunt aliquid, vel ſimilitudinem præ ſe ferunt. Qui in illis ſui notitiam ſeruant, eum diuinum hominem, & principis, cuiuſmodi optamus & educatione parare conamur, animo præditum dixeris. Qui ſe nôrit, is quæ animi bona ſunt, habet in primis, cætera ab imperitis magni fieri, facilè patitur, eſſe tamen

& ha-

& habet in vilibus, & quantiquanti ponderis habeantur, accepta fert Deo. Quid autem adoleſcenti ætati fieri non exiſtimemus, cum & reges magna cura educati, nec omnino in ipſo ſplendore negligentes à ſe deſciuiſſe acceperimus?

Cap. XII.

Quomodo inanis opinio maieſtatis iam adultos & magnos quidem reges tranſuerſos rapuerit.

ACcepimus Philippum veritum, ne ſui obliuiſceretur, aluiſſe apud ſe ingenuum puerum, cui haſce ſolas partes dederat, vt diebus ſingulis manè expergefacto & prodeunti è cubili obuiam iret, & hoc vnum verbum occineret: Philippe, homo es. Nec tamen illum tot victoriæ, nec perpetua felicitas ſinebat meminiſſe conditionis, qua natus erat, vt fato vocante vel ipſo momento è vita excederet: hoc enim ſi cogitaſſet, ſuo regno facilè contentus, aliena non appetiuiſſet, nec Græciam ſub iugum mittere in animo habuiſſet, nec tot millia hominum trucidaſſet, nec tot vrbes in cinerem vertiſſet. Nec enim hominis eſt immenſa concupiſcere imperandi libidine, nec triumphos parare ex internecione plurimarum vrbium & totarum gentium, nedum regis, quem ſimulacrum quoddam Dei eſſe iubent ſapientes & optant cæteri mortales. Regis erat opibus & bellica virtute inſtructi, barbaras gentes ad humanitatem vocare, oppreſſos ſeruitute populos in libertatem aſſerere,

vrbes

vrbes condere, æquas leges ferre, & ea constituere quæ his sunt consentanea omnia. Sed inueniat fortè quis quod dicat pro Amyntæ filio; quis caussam dicet pro Philippi filio? Illum enim in armis & non nisi ad arma educatum, non nisi in armis & cædibus & ruinis vrbium, & populationibus regionum, potuisse & voluisse viuere, mirum videri nemini debeat. Hic à summo sapientiæ magistro ad humanitatem & munus regium in litteris peradolescens summa cura eruditus, quem nihil ignorasse omnium, quæ hominem præstantem & regem nouisse oportuit, credibile est, quo tandem euasit, obiecta falsa maiestatis vmbra, potitus vniuersa Asiâ, vt dominus orbis haberetur, & non prorsus illud inane nomen gereret? dabimus enim hoc iam de vulgi iudicio. Norat autem ille, hunc orbem terrarum ratione vniuersi vix vim aliquam puncti habere; norat, hominum rationem nationi foliorum esse simillimam, quorum alia primo vere proueniant & virescant, alia vi ventorum statim decutiantur, autumno flaccescant omnia, & occidant ante brumam; norat, homine nihil esse calamitosius omnium quæcunque in terra spirant & repunt, vt poëta loquitur, ex quo ea, optimo interprete, didicerat. Hic tamen elatus rebus secundis, deprauatus Persicis adorationibus, non solùm diuinis honoribus coli, exemplo plurium stultorum regum, sed etiam se Deum ab omnibus haberi voluit, seque Deum esse vigilans fortè somniauit. Ea cùm esset extrema impietas, tum maior vesania excogi-

tari

tari nulla potuit. Qui quod mortalium nemini contigit, continget nemini, omnes terrarum tractus, quotquot ſol radiis illuſtrat, teneat, & nutu ſuo non aliquot ſæculis, ſed magno illo anno, celebrato à ſapientibus, adminiſtret, Deum ſe profiteri auſit; hunc ipſe Alexander furere olim dixerit: atque ille, qui vnum pedem non teneret, cuius ſe non centum annos perpetuum, ſed vnum diem certum poſſeſſorem ſperaret, furorem inſaniuit longè maximum: atque hoc malum multò grauius fuit illa ardentiſſima febri qua periit. Nempe obiecta maieſtatis tartarea ſpecies omnem ei mentem ademerat, ad quam inanitatem nec animum, nec oculos adiicere ſapientem regem decet; non oculos, inquam, ne animus ineſcetur, & dementatus, denique ſui oblitus, & pereat ipſe, & exitio ſit totis gentibus. Tale quiddam fieri in amoribus perditis videmus, quos nobis comici oſtendunt: an non ille Phædria, *viuus videnſque*, inquit, *pereo*? Verum hoc negotium priuatum & puerile eſt præ illo, quo plęrumque gubernator cum vniuerſa claſſe in mare calamitatum demergitur. Nec malus ſed magnanimus Pyrrhus erat: nec, credo, nulla diſciplina, nullis litteris excultus fuerit, à quibus ipſum nequaquam abhorruiſſe argumento eſt, quod philoſophi conſuetudine etiam in caſtris vteretur, neque numquam diſſerentem audiret. Verum ille, non tam imperandi cupiditate, quod mihi de eo rege, cuius animi integritas prædicatur, exiſtimare liceat, quàm victorię dulcedine vincendiq; cupiditate incenſus, vera quidem

dem & ex ipsa ratione nata audiuit ex illo suo Cinea, ei tamen; quamquam quod diceret contrà, quodque inueniret, non habebat, assentiri noluit, nec potuisse sanè existimem: tantum enim valuit non solùm perpetua belligerandi consuetudo, sed multo magis ille splendor, qui à perpetua victoria triumphisque Pyrrhi animum perstrinxerat, ac fortè præterea illæ falsæ siue adulantium, siue rem non satis intelligentium laudationes. Sed qui velit, exempla ex omni historia & quotidiana vita petat licet. Cum igitur nec malè educati, & in maximis semper laboribus summisque periculis versati, vbi nec voluptatibus, nec luxui esset locus, eo prolapsi sint, vt & miserè perirent ipsi, & vrbes populosque secum in exitium raperent, quanto accuratius cauendum est filiis regum, ne iis duabus pestibus, luxu & pompa, statim initio tenera ætate deprauentur; sed hæc, quantum fieri potest, nec oculis videant, & ignorent, vt in animis incorruptis & modestis & sobriis semina virtutis & beneficentiæ iaci rectè possint, è quibus amplissima seges saluti mortalium maturè proueniat.

CAP. XIII.

Qui fastui à pueris adsueti sunt, homines moderatos & prudentes abigere à se & adulatores allicere.

CÆterum è pompa siue cęrimoniis regiis non solum aliò transeunt, quàm expediret, sed etiam & eos, qui saluti esse possent, à sese alienant & abigunt, & alteros, qui malorum auctores

sint,

ſint, alliciunt: namque ad principes qui nihil præter faſtum ſpirant moderatus nemo accedat, cuiuſmodi ſunt, & eſſe oportet prudentes viros: quod ſi quis ſe oſtendat; vel ſtatim deſpiciatur, vel arceatur ab iis, quorum iam fiet mentio: nihil enim ipſis pollicetur in vultu pudor, nihil veſtis plebeia, nihil orationis ſimplicitas. Itaque eorum ſimiles, cuiuſmodi ſibi decem optabat Agamemnon, raró in conſuetudine & ſenatu principum apparent, quos domuerit longa dies, quos vſus rerum docuerit, quos ratio confirmarit: aut enim diſcedunt vltrò, non tam quòd ſe contemni, quàm quòd vbi vel maximè opus ſit ſana conſilia non audiri intelligunt, aut rude donentur, vel beneuolentiæ nomine, vel quod quotidianis laboribus tolerandis tam graui ætate non eſſe cenſeantur. Nec enim intelligitur, ſenum, de quibus nos agimus, præſentiam paſſim eſſe pro bonis conſiliis, conſilia pro oraculis: quæ ſi raro petuntur, at petuntur interdum, & tum quidem quando maximè opus eſt. Nec ſolùm maximè opus eſt, periculo imminente, ſed etiam, ſi penes alium conſilij copia non ſit. Vt autem optimi quique publicæ ſalutis amantes & à bono conſilio latis inſtructi ab eiuſmodi principum aulis exulant: ita illorum diſſimillimi vel illuc alliciuntur, vel ſeſe vltrò applicant. Vtrumque natura fit, vt & ſimile ad ſeſe adſciſcat ſimile, & ſimile ſe ad ſimile facilè aggreget. Sunt autem ij qui corpori viuunt & ſenſibus, & in curanda cuticula explendiſque cupiditatibus ſummum bo-

num ponunt, exſecrabiles vitæ peſtes, aliæ aliis magis noxiæ. Initio autem plurimum, quæ etiam non omninò temerè negotium ſuum gerit, nocet adulatio: adulatores enim & quæ admiratione digna ſunt prædicant, quo modo ſibi fidem primùm inueniunt; ſed multò magis, quæ apud imperitos in precio ſunt, vt plures, quàm locupletiores fidei ſuæ teſtes habeant. His præſidiis freti ea quæ cum reprehendere non audeas deteſtari certè debeas, præclarorum facinorum coloribus pingunt: nec quid aut facit aut dicit herus, quin adſit ille & arte vincat omnes paraſitos comicos: luxum nominant magnificentiam, pompam maieſtatem, amores ſuauitatem, ſæuitiam æquitatem: nec quidquam eſt, quin mirificentius ſiue monſtroſius transforment quælibet, quàm factum in vllis poëtarum fabulis cognoſcatur quoties id ex vſu ſit: eſſe autem nunquam non exiſtimant, vt gratiam ex gratia ineant & beneficia ex beneficiis lucrifaciant. Cum autem nihil turpius ſit adulatione de omnium ſententia, ſolertiſſimus quiſque eius architectus amici perſonam induit, atque hoc tamen turpius, quàm Irus gerat habitum Agamemnonis: longiſſimè enim inter ſe diſtant adulator & amicus, & potiſſimis maximè, animo enim & fine: ipſa etiam ſuauitate conſuetudinis, vultu, & verbis raró conueniunt. Alter enim quamuis vafer & perpetuus ſimulator, non poteſt vniuerſo aſtu præ ſe ferre omnia, vt non aliquando deprehendatur: vt enim regem ſuum fallat ſemper in omnibus, at ſpectator ſæ-

tor sæpè nequitiam & fraudem hominis animaduertit. Hoc igitur suæ artis morumque præmium reportat, vt quò maiora pluraque quibus inhiat consecutus fuerit, hoc peius à bonis audiat. Hoc autem genus suam rem agit, malo quidem, sed non tam nocendi aliis, quàm sibi commodandi animo: etsi aliis sæpè non leuiter, sed iis maximè, quorum beneficiis viuit, & vacuam molestiis vitam agit, nocet. Eorum enim & virtuti obstat, quos inanis gloriæ opinione complet, & fortunas minuit, nisi regiæ omninò sint.

Cap. XIV.

Ad eosdem aditum calumniatoribus & sycophantis patere, & quantæ pestes illi sint.

COmparauit olim nescio quis vitia hominum cum feris & serpentibus: vt enim ferarum aliæ aliis sunt truculentiores, serpentum alii venenati præ aliis; sic vitia enormia alia aliis teriora esse & pestilentiora: sunt enim quædam humana & familiaria omnibus mortalibus, quæ cum quadam venia necessaria nobis inter nos condonanda tolerandáve sunt, tum præsertim, cùm elui amplius non queant. Non est autem leuis vitæ pestis adulatio, nec leuis error sese adulanti dedere: sed multò grauius malum calumnia, & error grauissimus calumniam ferenti quasi in animo fundum concedere, in quo illa serpat & radices agat, & dominetur. Apud quos autem adulatoribus locus est & sibi tribui locum oportere calumniator existimat, eumq; ibidem nullo negotio occupat. Cum enim plærumque

idem adulator ſit, ita aures & animos regum demulcet, vt in gratioſis primus fidem inueniat in omnibus, neque vnquam mentiri aut confingere aliquid exiſtimetur, ne dicam alterum, neſcio vnde natum, quod pleriq; iis quæ ad commendandos alios faciunt ægre aſſentiamur, quæ ad dehoneſtandos, facilimè. Quare ſi quibus ipſi ſuccenſeant, ſi quos oderint, ſi quos ſuis cupiditatibus aduerſari vel intelligant vel ſuſpicentur, ſi quos metuant, qui ſunt quotquot eſt virorum integritate vitæ virtuteq; præſtantium, eorum exiſtimationem arte minuunt, facta, dicta, conſilia identidem vellicant, in eos crimina confingunt, clandeſtinarum molitionum vel proditionum abſentes, nec talia in ſe tela cudi ſuſpicantes, reos agunt, nec finem faciunt, donec alios gratia, alios loco mouerint, alios opibus nudarint, alios in exilium, alios in crucem egerint: pro ſua enim libidine abutuntur principum potentia: quos ego principes ſemper malos non dixerim, quandoque bonos, ſed nimis ſimplices in magna conſilii penuria, abductos initio in luxum & pompam, non deductos ad modeſtiam & rationem. Hiſce & ipſi ſalui forent & ſeruarent rempublicam. Miram & abſurdam iudicii formam in vitam inuehunt calumniatores, vbi nec reus reſpondeat, nec audiat, nec ad tribunal compareat, de cauſſa nihil comperiat præter ſententiam qua ſibi pereundum intelligit. Hoc agit, hoc perficit ille idem criminis inuentor, accuſator, teſtis, iudex, carnifex: nam & ipſe ſibi principis perſonam ſumit.

Nec

Nec animaduertentem enim, ac nec opinantem& mente & omni dignitate ſpoliat. Hinc igitur intelligi facile poteſt, quantum ſit in felici calumniatore mali, quodque & bonis & reipublicæ & ipſi principi exitium meditetur & inferat. Eiuſmodi familiæ & contubernii ſunt, adulator, calumniator, & ſycophanta. Illi igitur non penetrent quò libeat? ſycophanta, de quo præſertim dubites, maioréne ſit fraude, an impudentior, qui in populo priſcis etiam ſæculis primas tenuerit, à regia ſe excludi patiatur, nactus occaſionem tam optabilem? Vt enim interdum quieſcat adulator à vita & ſanguine, tamen idem ſæpè calumniatori operam locat, & plerumque fit, vt qui ſit inſignis calumniator, idem adulatorum nemini cedat. Calumniator verò cum omnes vias & aditus teneat, ſycophanta quamuis arcem nullo negotio occupat, in qua mens non vigilat, pro ſuis, hoc eſt animi negotiis, ſed pridem procurat quæ ſenſus probarint, quæ aures demulceant, quæ oblectent oculos, quæ palato iucunda ſint, & hiſce finitima, perſona ſeruæ ſumpta domina quæ iure & natura foret. Non abſunt igitur illæ inter ſe longius, ſtimulati auri fame, ſiti honorum, rabie dominandi: pecuniam enim volunt illi omnes, & plærique dignitatem ſimul, neque nulli imperium, ſiue violentam auctoritatem nomines: nam quæ vera eſt auctoritas officio, fide, meritis tandem aliquando, non vi, nec arte, nec ſubito paratur. Ne talibus autem excidant, aciem inſtruunt aduerſus integerrimum quemq;

& innocentissimum, siue is de aliis, præsertim de patria meritus iam sit, siue mereri possit: namque vbi bonis locus est, ibi sycophanta miser est, cumque in eo loco contabescat inuidia, aliud sibi cælum quærit. Igitur quos dixi hostes adoriuntur, iure quodammodo suo: at quibus armis? confictis criminibus, nec vno calumniarum genere, tanto autem astu, vt in suo foro nunquam ferè deprehendantur: namque, quod item dixi, non audent in quemuis campum descendere, nec facilè ad iusti iudicis tribunal veniant aut pertrahantur. Vbicunque tamen accusant, qui pro viro bono & caussa æqua verbum numquam faciant, & quocunque pertrahantur; nec manus dant, nec rationi cedunt, sed vt victoria potiantur, distorquent & primas leges, quas è cœlo hausimus, & alteras ciuitatis, quas prudentes tulerunt, & versutè eludunt præcepta sapientum, denique oraculis diuinis abuti non verentur: namque & hoc summo scelere & periurio se obligant, vt non solùm tardum & parui ingenii, sed intelligentissimum sanctissimumque iudicem circumscribant: impii enim sunt, cumque sciant, plærosque mortalium Deum timere, pietatem mentiuntur, vt neminem non facilè in fraudem inducant. Quanto autem & peior & nocentior bellua est sycophanta, hoc magis quemque & ab eiusmodi artibus abhorrere & sibi cauere principem, ne ab iis circumueniatur, oportere censebimus.

CAP.

Cap. XV.

Eodem confluere ioculatores, scurras, saltatores, item expilationum & sæpè bellorum architectos.

IIs igitur, de quibus satis verborum fecimus, nihil esse pestilentius omnes intelligunt: sed aduolant eódem, vt ad lautas epulas muscæ, qui cum illis conspirasse videantur, singuli non admodum metuendi, ioculatores, parasiti, scurræ, mimi, saltatores, ganeones, ventres & vtres, administri voluptatum, magistri intemperantiæ; alii item honesti, si non nisi munus suum faciant: quis enim homo elegans pictores & musicos? quis intelligens pugiles & venatores, & horum similes non accersat potius, quàm ab aulis arceat? cum & culinæ & cellæ ministris opus sit. Sed vt nemo velit ex aula aut popinam fieri, aut tabernam potantium: sic neque eam palæstram, neque orchestram ex ea facere oportebit: neque in saltus regiam & mentes transferre, vbi plus cum feris quàm cum hominibus negotii sit. Musæ autem ipsæ modum sibi ponunt, Marsyias verò nequaquam. Talium autem exercitus & regi graues sint, nec parum calamitatis etiam populis inferant: quorum, quos modo dixi, etiam iuuent & ornent regiam, ipsi aliquousque ferri posse videantur, metis modestiæ coërciti. Sed & capitales se ad cæteros aggregant, vel ex illo genere, vt certo exitii semine nascuntur: cum enim in perpetuo luxu & splendore neque aurum Midæ neque thesauri Crœsi suppeditent; alii expilationes excogi-

tant, alij bella fabricantur, vtrique & regum & vrbium & gentium calamitas & exitium. Quæ incendia interdum ex minutula ſcintillula vna atque altera, quas indicaui, ſi negligantur initio, oriri ſolent, ſæpè non vnius vrbis, ſed plurium regnorum, non vnius ætatis, ſed ſæculorum aliquot felicitatem depaſcantur. Sit autem etiam inter mortales perpetuum hoc malum, niſi principum aliqui ſic educentur, aut in viam retrahantur in tempore, aut conſilia moderentur prudentiores, aut calamitas furores mortalium compeſcat. Fecit autem plurium dierum ſuper hac re meditatio non paullò vberiorem hanc ſcriptionem; acceſſit enim & lectio, etſi non eo nomine inſtituta, quæ tamen vltro aliquid ſubminiſtraret; ad lectionem ſermones cum familiaribus, qui non etiam nihil conferunt. Quod ſi de ſententia aliqua recepta dicere inſtituiſſem, coarctandam mihi orationem putauiſſem: at quia non tam noua, quàm abhorrentia à communi conſuetudine & ſenſu multitudinis prodo & tueor, longiorem ſiue verboſiorem me eſſe oportuit; ſic enim, ſi qui cum attentione hæc legerent, mihi aſſentirentur. Nec enim ſtatim quis ſubſcribit non intellectæ ſententiæ. Quis enim Zenoni aſtipuletur, virum bonum ſolum ditem & regem aſſerenti, niſi cuiuſmodi ille diuitias, cuiuſmodi regnum velit, intelligat. Cum multum dixerit, qui chœnici inſidere, aut hirundinem tecto accipere vetet, nihil dixiſſe videatur, niſi hæc auditori antè explicet & perſuadeat. Ita non habuiſſe nihil cauſſæ mihi

videor,

videor, cur huic commemorationi immorarer, de qua præsertim re & vberius & luculentius absque reprehensione dici posse existimem. Tamen si cui hæc non satisfaciant, nec pluribus persuasum iri existimem.

Cap. XVI.

Quam præstans futurus sit Princeps, in cuius educatione præcepta tradita obseruata fuerint.

NEc igitur ipse progrediar vlterius, nec nisi vnum hoc addam. Iubebo enim, si quis adhuc de veritate huius sententiæ hæsitet, eum iubebo, cogitare apud animum, quid boni præuideat aut speret, si discedatur à consuetudine inueterata nonnihil, & quò longius, eò, vt mea fuit opinio, melius. Sic enim regia familia natus, idemque heroica indole præditus, audita statim arripiat, accepta meminerit, comparata inter se non solum contraria, sed similima facilè discernat, si à puero nec videat, neque audiat neque luxum neque nimium illum splendorem, eleganter & modestè cum elegantibus & modestis viuat, modico & tenui victu vtatur cum vniuerso suo contubernio, de notitia Dei semper audiat, deque cultu numinis, semper audiat de virtute, & quando hoc agitur, & quando hoc agi non videtur, sit quotidie in litteris, non futurus disputator, sed actionum regiarum gestor, & sit citra fastidium, quod multæ rationes abigunt aut attenuant, audiat sales è schola Mercurii candidos, non ex altera Momi, tabulam Cebetis spe-

ctet identidem, nec non si quid est picturarum elegantium, audiat musicam pudicam, siue voce canant, siue fidibus, an non interdum & tubam? Paridis enim similem esse nolimus. Et voce canebat autem & cithara ipse Pelei filius: exercitationes corporis habeat non gladiatorias, sed modicas & tempestiuas: prodeat in ambulatiunculam, ludat pila, contendat cursu, contempletur solem, lunam, stellas, vniuersam regis æterni domum, mira arte factam testudinem, ad dominum vniuersi animi oculis & inibi & vbicunque suspiciat, in litteris sit ætati suæ & profectui conuenientibus & debitis: nec poëtas neglexerit, nec oratorem: in historia ne hospes sit, nec ignoret, vbi gentium ipse viuat, vbi terrarum & gentes & reges alii. Nec videantur autem hæc multa, nec difficilia, quæ plurima & difficilima sunt: nec sunt tamen multa nec difficilia, nempe tali animæ, quæ semper agitur, nec vnquam defatigetur, cum certo modo & recto ordine ducatur: in tali adolescentulo ne signum quidem exorietur non dixerim petulantiæ, nec furenter irascetur, quem nulla re offendi credibile est in educatione humanissima, nihil insanè concupiscet, cui nihil omnium negabitur, quod liceat, cum omninò omnia semota sint, quibus tener animus deprauetur, singuli videant & agant quibus erudiatur, omnibusque suis partibus melior fiat &, quoad eius fieri potest, perficiatur. Huc nimirum conferunt & illæ litteræ, quarum iam meminimus, & iis pares cæteræ, siue grauiores & ad regiam disciplinam primæ o-

mnium

mnium, quas iam quoque capit adoleſcentia. Quod ſi id ſe ita habet, quẽadmodum arbitror, quod ſapientes prodiderunt, vt princeps ſit anima legum atque etiam fons aliquis legum; leges ſcire principem par eſt, primùm ſcriptas illas, à quibus latum vnguem diſcedere nemini licet, nec ipſe etiam velit, velle certè libêre numquam debeat, haud ignorare eum oportet, quibus quotidie magis, quàm alimentis vtetur, aut in promptu habere, tum in monumentis, tum in iuriſconſultis. Deinde verò etiam alteras, quæ ſuapte natura primæ ſunt, quod illæ ex his tum deriuantur, tum auctoritatem habent. Hæ naturæ ſunt, immò auctoris naturæ; hæ docent & quemque rectè viuere, & principem omnemq; magiſtratum ſuis atque patriæ rectè conſulere: etſi huius vulgo inuiſum, ſceleratis exſecrabile nomen eſt, vix vt liceat hodie philoſophiæ nomen vſurpare, ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα, vt vtar verſu Æſchili. Neque verò hæc tantum recta admirandaque conſilia, ſed etiam tam publicè, quàm priuatim ſalutem parit, ita conſtituente vniuerſitatis arbitro. Hic enim vt per agri culturam frumentum, ſic per philoſophiam ſalutem donat & gentibus & ſingulis. Quas dixi diſciplinas & huius præcepta ſi in adoleſcentia princeps delibarit, & quæ prima ſunt imbiberit: oculis animoque ab omni luxu & pompa neque dum optabili multumque noxia (ſæpè enim vſurpanda ſunt, de quibus agimus) auerſo: qualem fore eundem matura ætate & in ipſa iuuenta ſuſpicemur? Primum, quæ in eum diem contemſit, neque dein-

ceps pluris faciet, nec in media copia rebus abutetur, nec in ſplendore, quem feret, ad aurum vniuerſum, ac ne quidem ad ſuam purpuram reſpiciet. Nec enim animus eius errabit in iis, quæ ſenſus ſuauiter afficiunt, quæ populus & pueri, & quotquot animis in populo, ingenio in pueris ſunt, ſola ſuſpiciunt: quæ barbari, quos nec ipſi nos in hominibus habere profitemur, omni virtuti omnique ſapientiæ præferunt: in tenui etiam cœna cum elegantia, & pallio ſine ſordibus ſe non minus principem eſſe intelligat, quàm quiſquam Perſarum in vniuerſo vtriuſque generis luxu fuerit. Aget idem, omnia, quæ volet. Volet autem nihil ſæuum nihil libidinoſum, volet, æqua, iuſta, pia, populis & patriæ in præſenti & in futurum ſalutaria: hæc volet, hæc meditabitur, hæc procurabit, hæc ſtabiliet. Nec ab inſtituto talem principem quis auerterit, nec audebit, nec in animum inducet. Quis eum adeat adſentator? & ſi auſit, cum infamia pedem referet: quis calumniator? quis ſycophanta? Sciunt enim innocentiæ, & in vniuerſum aduerſæ parti aurem integram reſeruari: ſeque apud talem principem, qui & iuſtus ſit, & ipſe rem intelligat, & prudentum conſiliis vtatur, in maiore certioreque periculo verſari, quàm quiſquam omnium, quibus illi periculum & exitium crearent. Minutis autem aularum peſtibus nulla regiarum magis purgari poteſt, quàm ampla horrea muribus: ſed tamen eius generis muſculi à cauernulis longius non excurrunt: ſi faciant, non minus atque illi perierint. Illa autem duûm generum mon-

monſtra dico & eos, qui expilationes inueniunt, & qui bella conflant, conſpectum talis principis deteſtentur & fugiant, ſin ſe oſtendant, fatum eos Oti & Ephialtæ manebit, quos bellum ſuperis molitos ante pubertatem Iouis fulmine ictos ferunt doctrinæ non inanes fabulæ. Nam quod ad illud attinet, neutrum ignorat princeps: neq; hoc, magis eſſe regiũ, imperare fortunatiſſimis, quàm egentibus, omni gaza comportata in ærarium, quod nec latebat ſenatorem Romanum. Samnites enim magnum auri pondus ferentes Curius repudiabat, quod diceret, aurum habere, ſibi præclarum non videri, ſed qui aurum haberent, iis imperare. Nec ignorat alterum, opes populi ſuas eſſe, ſi neceſſitas impendeat, non minus, quàm filiorum, patris. Nec poteſt dubitare, qui cura & indulgentia & beneficiis patrem æquet, quin habiturus ſit in omni re obſequentiſſimos non minus, quàm indulgentiſſimi parentes ex ſeſe natos liberos. Neque non idem intelligat, in bello nihil non eſſe calamitatum, vniuerſum denique exitium cum ſingulorum, tum familiarum & gentis & imperii, atq; iccirco exſecrandum & fugiendum: quod idem inter heroas bellatorum princeps Achilles diſertè profitebatur: nec tamen ignauia hoſtem metuet: ſed tum bellum defendet & dimicabit fortiter, acriuſque adeo, quàm leæna pro catulis lactentibus præliari ſcribitur. Neque tum primùm eum animum induet, quem ſemper magnum geſſerit, qui ſe in armis exercuerit atque etiam ſuos, qui ad tale tempus neceſſaria pararit, non

minus

minus quàm ad victum diligens paterfamilias ad hyemem. Felicem principem, cuius aulam istiusmodi pestes, aut non premunt in vniuersum, aut non nisi suspenso gradu, maximo metu periculi, cumque exitio suo, si deprehendantur, ferunt. Accersit autem ille sapientes, hoc est, viros bonos & prudentes, exercitatos, vsu confirmatos senes, siue pace alia atque alia gerenda constituendaque sint, siue de bello, deque iis, quæ ad bellum pertinent, deliberetur: & quamuis intelligens, non tamen sibi fidit, sed illos consulit, illos audit, illos sequitur, & vnumquemque tamen, in quo præstat maximè, ne cui fenestram curiositatis aperiat: sententias ipse intelligit & meminit, & inter se optimas comparat, rectissimam deligit. Tales idem & colit & ornat: quorum illud ex animo facit, nihil homini, sed virtuti honorem tribuens: hoc ipsi quoque in procliui est. Nam quibus virtus bonorum primum est & cordi salus patriæ, nec honores se maiores ambiunt, nec inhiant diuitiis, sed modicis contenti sunt: quæ si eorum dignitati non respondeant, præsentibus æquo animo vti frui adsueuerunt, nec sine spe serenioris tempestatis: sic etiam paterfamilias, fundi calamitatem lenit, sibique persuadet, aut altero anno aut tertio prouentum rerum vberiorem fore. Vt autem neque hic fallitur, ita neq; ille. Non claudit enim in suos, nedum in benemeritos benignitatem suam princeps, qui petentibus etiam aliis haud facilè aliquid negat. Etsi autem tam præstantium virorum, & animi bonis sui simi-

lium

lium ob virtutem & vtilitatem, quæ ab illa numquam ſegregatur, conſuetudine totus dies cum primis vtitur: tamen neq; à ſe arcet, quos legit in familiam, propter artem & induſtriam, honeſtos & probos viros, vt ſunt œconomi, quæſtores, equum domitores, architecti, muſici, pictores, venatores & his inferiores, ſed domi neceſſarii: quibus etſi mandat, vt herus, quid fieri velit, tamen ex vnoquoq; multa ipſe quærit & diſcit, & audit eorum vnumquemque in ſua arte: quod ſi quis quid alienum dicat agatve, eius curam auctoritate compeſcit in negotiis arduis, vt nec de canibus, nec de equis, nec de plagis aut venatione, nec de aratione, quæq; ad rem ruſticam præterea pertinent, conſulat quemquam de ſenatoribus: quin rideat, ſi quis ſuum iudicium in iis rebus interponat, quarum alios habeat ſcientiſſimos. Nec enim ſolùm odit curioſitatem, familiare mortalium crimen, inde, vt putatur, ortum, quod quiſque ſe & ante alios, & in omnibus ſapere falsò exiſtimat; ſed etiam intelligit, nihil eſſe cum in cæteris, tum in rebus ad publicam ſalutem pertinentibus curioſitate pernicioſius. Cum enim quæ rectè feliciterque fieri velimus, ordine omnia fieri oporteat, & hoc pacto ordine nihil fiat, ſed perturbatè omnia; ſalus excluditur à negotiis, damno & exitio porta patefit: vt ſi ſentinarius aut remex excuſſo gubernatore clauum arripiat, nauis illa vel in ſumma tranquillitate in ſcopulos illiſa pereat. Vides curam, vides conſilium, vides prouidentiam ſiue prudentiam perpetuò ſobrii principis & in vulgi oculos

culos incurrentium negligentis. Eum florere laude apud bonos, & gloria sempiterna necesse est, qui cum rectè faciat semper, tum populos suos & aliis bonis & virtute beet. Quin vtriusque si neutrum sit: at mens nulla sceleris, sæuitiæ, impietatis macula adspersa, conscia sibi optimorum consiliorum & meritorum in genus humanum voluptate sua perfruatur longè iucundius, quàm perpetuis Alcinous cum suis Phæacibus. Nec verò illam popularem, eéque cætu cælestium præcipitem datam in hæc vniuersi infima voluptatem optet, qui animi voluptate abundet, nec necessaria corporis careat: in quo vtraque sæpe honestissimè conspiret, siue sermonibus vel de rebus arduis, vel de disciplinis subtilibus, siue in musica, siue in ludis equestribus siue in venationibus, in quibus deniq; iocis & seriis: siue audiat alios, siue loquatur ipse, siue meditetur, aut sacra, aut quæ sunt scientiæ aut quæ actionum, siue legat aut oracula cælestia, aut monumenta sapientum, aut historias, aut scripta iucunda quęcunque & simul vtilia. Namque hoc meminerit, quod iubebat reges facere Phalereus ille: iubebat eos legere indies de officio regio & omnibus eius partibus: hoc qui faciat, plurima animaduersurum per se, de quibus alius, quantumuis prudens & disertus, quouis tempore non moneret. Difficile est enim loqui cum potentibus in tempore, vt proficias: in quo etiam ipsum Nestorem sæpè desudasse, & haud raro frustra omnes ingenii neruos intendisse cognouimus. Rei magnitudine & veritate proue-

ctus

ctus fui longius. Quid enim maius tali principe, quem direxerit ad virtutẽ veritas? quid tali eius vita sanctius? Plato scriptum reliquit in eiusmodi potentiæ & sapientiæ conspiratione, beatas fore resp. nec prius genus humanum miseriis leuatum iri, quàm illa coniungerentur, nec alibi, nisi quo loco id fieret, quod quodam tempore alicubi euenisse, itaq; deinceps fieri posse, negari non potest. Ad tantum bonum quòd viam sternendam hac ratione arbitror & probo, fortè nõ parum emolumenti ad publicam felicitatem adferre videar: non omnem profecto operam luseto. Nam etiamsi hoc cõsilio hodiè vtatur nemo, tamen falsas opiniones & noxias consuetudines taxari & sententias super vnaquaq; re bonas tradi confirmarique ex re est, vt si non prorsus rectè faciamus, in plærisque tamen rectius sentiamus, & in vita minus à scopo aberremus. Habes à me, Abr. Belline, non epistolam, vt me monebat frater tuus, sed ingenii mei siue laboris monumentum, vt si in materia, in quam sciens incidi, tibi non satisfecerim, exspectationem tuam vbertate orationis superarim. Omnia verò omnes haud probaturos scio: nec à te postulo, vt quidquam probes, quod rectius fieri, vel ratione vel vsu videas: plæraq; tamen & potissima recta veraq; esse, nec ego dubito, nec te dubitare, suspicor. Si quid melius & sanctius hoc consilio in vtraq; re prodi possit, eo potius vti optem & iubeam, quorum interest. Vale.

Helmæstadio ex acad. Iul. Kal. Febr.

CIƆ. IƆ. C.

IOAN. CASELII ΠΟΛΙΤΕΥΣΟΜΕΝΟΣ,

Quemadmodum primarius, idemq; ingeniosus adolescens, mature & recte educetur ad rempublicam.

AD TOBIAM PAVRMEISTER. V. CL.

CAP. I.

Quo instituti ratio redditur & de iuuentutis educatione præclara quædam monentur.

Recordaris, Tobia Paurmeistere, qua de re me ad te scripturum pridem ostenderim, vnde nascerentur mihi vberiores litteræ, nisi iustam lucubrationem appellare malis. Fieri enim solet in eo genere, vt exorsi quasi epistolam, volumen conficiamus, quod mihi aliquoties contigit non cogitanti: hic iam certò futurum præuideo. Necesse namq; habeo, & altius ordiri, & instituti argumenti capita non solùm recensere, quæ mihi in mentem veniant, sed etiam, quoad possim, explicare diligentiùs. Siue igitur natura, siue curiositas me in huius cogitationis initium perpulit. Prima enim pueritia cum degustassem Latinas litteras, cœpi admirari & discere, quæ pueris proponerentur, sed respexi simul ad Græcas. Sponte mea pulcrum putabam, neu-

trius

trius linguę esse expertem, etsi non intelligebam, quamobrem hoc tanti esset: ac fieri potest, vt hoc singulare esse alicunde audierim: & omninò audieram, si non ex aliis, certè ex patre, qui pro sæculo, quod se puero fuerat, profecerat: me autẽ, vt sunt patres, ex ipsa doctrina, scribendiq; facultatis præstantia clarissimorum similem euadere cupiebat. Erant in recenti memoria Erasmus, Budæus, Morus, quem ipse in Anglia nouerat. Quotidiè in ore habebat Melanchthonem, Camerarium, Sturmium, quorum ego scripta videbam: intelligebam in iis pauca. Fama eorum nominis afficiebar, quos esse viros magnos audiebam: quamobrem magni haberentur & essent, nec intelligebam, neq; per ætatem & puerilem profectum intelligere poteram. Quæ præceptores interpretabantur, in iis tum ab ephebo proximus, multa desiderabam, quæ tamẽ per verecundiam poscere non auderem: plura etiam eiusmodi mihi apponi optabam. Eram enim ingenii epularum auidior. Plæriq; autem tenebant nos in pauculis versibus menses etiam plures: quæ mense vno pueri paruo negotio cognoscerent, in iis annum occupabamur: ne dicam de aliis, quæ non necessaria, nec vllius momenti, aliquot annis inculcarentur. Ita euenit, vt ingeniosis adolescentibus anni ex annis perirent: ille autem feliciter in ludo litterario educari crederetur, qui latinè garriret, modò in peruulgatas regulas non impingeret. Neque verò non adolescentuli in magistris nulla desiderabamus, quæ nobis esse notiora & certiora, nec falsò putaremus. Magnum

erat illa ętate bonum,quod neq; dum erãt inuectæ in ludos pueriles corruptelæ,neq;auditę adhuc nouæ cuiuſdam & inanis ſapientiæ ſtratioticæ promiſſiones coniunctæ cum veterum ſapientum & ipſius veritatis contumeliis. Fui fortè ipſe infelicior,qui in probos quidem, nec tamen ſatis doctos, ſolertesq;magiſtros inciderim. Nec enim nego alicubi aliquanto rectius litteris eruditam pueritiam. Aequales tamen, qui ingenio me ſuperarent, vel æquarent, querebantur idem, & eandem querelam poſtea adultiores ſæpè repetiuimus. Neq; tamen non, poſtquam veni in academiam, cognoui eruditiores & meliores primæ ætatis duces, vnum ſaltem atq; alterum. verùm illa relinquo, quæ ad meum inſtitutum non pertinent, ſed ducunt. Quæ enim ad puerilem inſtitutionem facere intelligam, attigi ſanè alibi & ſingulari diligentia in loco explicanda ſentio. Nec n. negligenter tractanda ſunt prima, à quibus ad ſecunda,ac deinceps ad altiora aſcenditur: ſicut fabricandi ſcalam, & fundamenti ratio antè omnia habenda eſt, & primus quamquam imus gradus firmandus quàm valide fieri poteſt. Denique quod in puerili ad virtutem educatione peccatum fuerit, id ſequenti tempore ſarciri vix aliquando poteſt: & ſi fortè fiat, non fiet hoc, niſi lentè admodum, magnoque negotio. Cum audiuiſſem potius nomina artium dicendi,quàm quidquam de iis didiciſſem: (deguſtaſſe enim me nonnihil non negarim) vtraque lingua ita cognita, vt ad Græca aſpirarem, Latina intelligerem, non niſi

quæ

quæ vulgò & dicerentur & ſcriberentur; veni adoleſcens ad ſcholas illas regias ſiue primarias. Erant qui mihi vellent, non item, qui mihi conſulerent, ſiue quòd pauci rem intelligerent, ſiue quòd ego neminem conſulerem, ferens mecum pudorem eum, qui nulli vſui eſt. Audiui attentè plures, profeci, quantum per doctores proficeret aliquis æqualium. Ea omnia & magni faciebam, & vt bona, ſicut omninò erant, pleraque accipiebam. Quoties conſiderabam non niſi eos, quos videram, quibus cum eram, abundè mihi ſatisfieri ipſe ſtatuebam: ſi quæ ego prætereа deſiderarem, non erat, ex quo ea peterem: aut, vt dicam abſque cuiusque contumelia, ego eum non videbam, qui meum deſiderium expleret, meque duceret, quò me natura forte duceret, aut inuitaret. Non nego, me quædam paſſim tum lectitaſſe, cum omne genus lucubrationum in manus nullo iudicio ſumerem, quæ mihi quaſdam educationis atque eruditionis partes magnæ cuiuſdam egeſtatis, ſiue imperfectionis ſuſpectas redderent. Plæraque autem, quæ audirem ſiue legerem, videbantur mihi non meliora iis, quæ homines rerum non nimis imperiti, & à ſolida doctrina vacui, vel certè ſemidocti, modò non nullius ingenii, aut æquè benè, aut multò etiam melius dicerent & ſcriberent. In ſcientiis, nihil ipſe exiſtimans, audiebam alios, quibus in prima diſciplina credendum, audieram & credebam: quæq; eius generis eſſent, iis aſſentiebar, confirmatus rationibus. In vita hominum requiri eloquentiam & plurium re-

rum cognitionem, audierã, & desiderabam cultiùs loqui, & rectiùs quędam intelligere: quorum illud frustra affectabã, cum qua hoc adipiscerer, rationẽ nec ipse viderem, nec acciperem ex aliis. Meam autem δυσωπίαν alebant mores sodalium. Quod n. æqualium nemo faceret, id ego auderẽ solus? Facilè quoq; animaduertebam, neutrum præstare disciplinam iuris, quæ non hoc ipsum, sed certum quiddam aliud polliceretur. Leges enim tuẽtur ab iniuriis innocentiã, & compescunt malos. Me verò neque illa ætate hoc mouebat, quòd iurisc̃osulti ad dicendũ ferè accederẽt soli, nec alii adhiberentur ad quasvis deliberationes: neq; hic mos, neq; hæc opinio, in hunc diẽ desiit: neq; laborandũ cuiquam censeo, vt quod inueteratũ sit, ex vsu populi eximatur. Nãq; nec ignorabam artẽ dicendi toto genere diuersam, vt quę nihil vlla de re statueret, sed omnis consisteret in vi persuadẽdi. Neq; alterũ esse eius personæ proprium, me tũ fugiebat, quòd, qui in iure aliis caueret, sępè in aliis negotiis consiliũ peterent, proprio, absq; periculo non vterentur: quorum non paucos periisse audiuerã, ex eo tempore periisse plures memini. Aberrabã igitur, neq; tamẽ, quod aiunt, toto cœlo. Etsi enim, quo animo c̃otendebam, rectà non ibam, neq; absq; monstratore poteram: tamen in iis perseuerabam, quæ si non eò tenderent, certò me adiuuarent: quòd absq; illis nemo eiusmodi metam, ad quã ego respicerem, attigisset vnquam. Sponte mea Latinos scriptores legebã, non tam vti inde eos fructus caperẽ, qui perciperentur, quod ipse non satis intelligebam,

sed

ſed vt intelligerẽ, & illius linguę paullò mihi plus pararem, atq; vulgò fieret: in ſermone Græco deſudabã, vti qui corticem conſiderant, fortè cum cogitatione, ſed exigua ſpe nuclei: legebã tamen nõ ſolùm poëtam, & qui ab hoc dependent, alios, & oratores, & hiſtoricos: ſed, vt dixi, legebam, vt qui adſpiciunt & admirantur fructus in excelſa arbore, nec iis fruũtur, quibus tamen ſpes aliquãdo fruendi nõ adempta eſt: vti neq; erat tũ prorſus mihi. Duo referam, quæ ad rẽ facerent: alterũ ex euentu, ſed per ſe alterum. Tranſibam ſolus in libros philoſophi de vita & moribus, diligentia puerili, fructu perexiguo, niſi cũ quæ ibi ſunt de amicitia, legẽs, videbar magis mihi aſſequi, quàm plæraq; alia. Non faciebat hoc nihil ad cultũ animi mei. Neq; enim nõ aliter afficiebar, quàm antè affectus fueram. Bona enim ſentẽtia ex animo cogitantis falſam eruit, atq; eundem animum & emendat & erudit. In altero fallebar, nec tamen hoc mihi fraudi erat, quod ad rem bonã duceret. Cum enim in oratoribus fortè obſeruarem, nihil dici à quoquam omnium, quin ad virtutem & ad dec⁹ referretur, cœpi ſuſpicari, qui ita ſcripturus eſſet, eũ oportere eo etiam modo animo moribuſq; eſſe conformatum. Neſciebam enim ſiue talis eſſet, ſiue nõ eſſet, hæc ex arte depromi ab oratoribus: certè qui ille ſit, quẽ ſe oratione repręſentat, ita orabit ſiue ſcribet faciliùs. Quid n. eſt expeditius, quã depromere è pectore, quæ intus habeas recondita? Nõ igitur pœnitet me erroris, vt è pectore cœpto nõnihil expoliri proferrẽ ſine arte, quæ ſentirem. Et hac & reliqua cura ſiue di-

ligentia profeci pluſculum, non vt multò melior fierem, ſed vt aliquãtò doctior: profeci, inquam, opinione aliorũ potiùs, quã reipſa. Etenim inter æquales habebar aliquis; nec tamẽ ego vel ęqualium vel adultiorum etiã calculis acquieſcens, ſegnius vrgebã inſtitutum: ſed calcar mihi additũ ratus, memet ipſum in hoc curſu magis incitabã; ac fui in vno felicior, quod diuinum beneficium agnoſco, vt orbis terræ regionũ cultiſſimam adirem iuuenis. Ibi neutiquã ea ſtudia neglexi, quæ populares non iam ab vno ſeculo colerẽt, præſertim Bononię, quo in loco maximè viguit legũ diſciplina etiam antè, quàm ibidem, multis ſæculis conſopitæ, humaniores litteræ renaſcerentur: ſed nec genius meus, ſiue cogitatio iã inueterata, me deſeruit. De quibus cognouerã doctrina & dicẽdi facultate præſtantibus, eos adibam, (nec enim tam ratio, quàm ætas me iam fecerat audaciorẽ) de aliis inueſtigabam. Ibi me ſiue anni ſiue exempla nonnihil erudierunt, ſiue hæc ſimul omnia. Singula n. plurimum poſſe, nemini, credo, in dubiũ veniat. Ea ſunt humanitate doctiſſimi quiq; viri, vt diſcẽdi cupidorum aditũ negent nemini: qui neget, hoc ipſo ſe à Muſis alienum teſtatus videatur: ſed in vniuerſum nihil eſt gente Italica cũ grauitate humanius, nihil hoſpitum amantius. In cæteris autẽ Germanos complectebatur magnus ille Petrus Victorius, Hetruſcorum Chiron, ex qua re ante eũ in Hetruria ſingularẽ laudem Volaterran⁹, in Gallia Ciſalpina Lazarus Bonamicus ſibi cõparauerant. Iam fuerãt apud eum alii, iam erant alii apud Victorium, per quos ſeni iuuenis

nis innoteſcebam, nec ipſi me quid magis commendabat, quàm aliqua Græcæ linguæ notitia. Ipſe cum paucis Græcas litteras ſuperiore ſeculo noſtro orbi recluſas, iuuentuti propoſuit & declarauit, & multa in iis obſcura, præſertim in arte dicendi, & altera philoſophiæ parte, quæ vitam humanam erudit, & priuatim & publicè optima ratione magno labore declarauit. Verùm de eius viri erga rem litterariam meritis ad te pluribus agere nihil attinet, qui, quicquid talium ſcriptorum eſt, ipſe quoque ſedulò legeris, èque iis, quantum quis alius fructuum perceperis. Dixi initio, quædam mihi eſſe altiùs repetenda. Sic enim videres non ſolùm de multis ſententias meas, ſed quo pacto diſcedens à vulgi opinionibus progreſſus ad rectè de pluribus ſentiendum, propiùs acceſſerim. In Germaniam reuerſus, ſalutaui iterum magnum Ioachimum Camerarium, ex quo viro, quæ eodem pertinerent, pœnè ſolo quis accipere poterat. Hoc antè mihi inexploratum, ex viri ſermone familiari cognoui, cum ille ex me quæreret, cum de ſtudiis doctrinæ Italicis, tum de Petro Victorio. Fuerat enim ab annis iam pluribus inter eos æquales, è ſimilitudine vitæ & ſtudiorum, nata altaque miſſione litterarum amicitia, & conſtans animorum coniunctio, cùm præclarè, recteque alter de alterius etiam virtute ſentiret & prædicaret, quod ego vtrinque audiui ipſe fieri. In neutro erat vel gloriæ vel diuitiarum cupiditas, tàm in hoc, quàm in illo perpetuum doctrinæ ſtudium: ſumma vtriuſque cura in educandis liberis: ſumma in v-

troq; grauitas & constantia: in neutro cogitatio, quin vel ad ipsos propriè pertineret, vel ad officium boni viri, qui toti semper abhorrent à curiositate: neuter se ingerebat in diuersa & aliena: execrabantur æquè ambo otiosorum & malè feriatorum lucubrationes, refertas conuitiis & calumniis: cumque ipsi à nonnullis peterentur, silentio & vitæ integritate propulsabant hostiles eiusmodi & barbaros insultus. Denique Camerarii verbis, exemploque valde confirmatus, perrexi ad ἐυεργέτην meum, communem Musarum boream versus patronum, principem *Ioannem Albertum*, ducem Megapolitanum. Ab eo iussus edere specimen artis siue doctrinę meæ, cœpi docere in academiâ Rostochianâ, in quibus potissimam operam, diligentiamque posuissem: ac docendi iam munere fungens, nihil de discēdi labore remittebam, arbitratus non minus hoc mihi, quàm illud oportere esse perpetuum, quādo nunquam deforet in longissima etiam ætate, quod discendi cupidus porrò cognosceret. Diligentia & fide mea inuitati auditorum aliqui mecum cœperūt viuere familiarius, vt interdum à me consilium peterent, & domesticam operam requirerent. Iis ego paucis & ingeniosis morem gessi, in quibus cum essent, qui referrent aliis, in cuiusmodi monumentis ipsos ego tenerem, & quid spectarem, vt nempè animū excolerent, & linguam; ibi, vti fit in re noua, siue non satis intellecta, alii aliud reprehendere, alii aliud desiderare cœperunt. Ipse cum simul omnibus placere, & meum institutum persequi non possem, sed omninò tamen

vellem, quod ipſum rectum eſſet; monui familiares, ne me turbarent aliorum iudiciis ſiue cauillis. Populus enim in cenſura, non tam quærit & diſputat, quid rectè fiat, quid perperam, quàm nouationum reos agit, ſi qui quæ vulgo inaudita produnt, quamvis ipſa meliora & deprompta ex veteribus. Ita ne auditis quidem contumeliis, ſi quæ effutirentur vel à malitia vel ab inſcitia, nihil mihi obſtabat, quo minus & ipſe pergerem, & familiares, tàm intelligendo, quàm loquendo, proficerent. Qui palàm mihi contradiceret, vel me moneret, erat nemo: fortè vnus & alter, qui familiariter ſciſcitarentur: quærentibus ſatisfeci facilè. Satis enim iis fieri putandum eſt, qui vel nobis iam adſtipulantur, vel non habent, quo pugnent vlterius. Fiebat, & fieri neceſſe erat, vt qui in his ſtudiis eſſent, ea indies magis amarent, & temporis pluſculum iiſdem tribuerent. Nam quis eloquentiam & virtutem prætereundo vmquam adipiſci potuit: quæ duæ res in rebus mortalium facilè principem locum obtinent: ſiue priuatam vitam agas, ſiue aliquod munus in ciuitate geras. Neutrius autem quis expertem ſeſe agnoſcit aut profiteri velit, etiamſi in iis nihil operæ, nec vnum diem poſuerit. Tamen ſi rudes & eruditos videas, facilè agnoſcas diſcrimen. Namque hi & aliquas partes doctrinæ explent, & quæ in rem ſint, dicunt aliqua: illos & quieſcere & tacere oportet, niſi omnes impudentiæ frænos laxarint: quos tamen ipſos denique cedere, aut pœnas non leues dare neceſſe eſt.

CAR.

CAP. II.

Sine Virtutis & Eloquentiæ studio nec remp. seruari posse, neque Iurisprudentiam debere addisci.

NEgari igitur non potest, quin tali disciplina cum aliis, tum iis potissimum opus sit, qui de capessenda republ. cogitant; omitti autem cum pernitie & singulorum, & ciuitatis, nemo sanus diffitebitur. Nam qui boni & diserti sunt, ii & ciues boni sunt, & in maximis, minimis rebus vsui patriæ esse possunt. Nec potest negari alterum, & labore & annis ad eas res parandas opus esse. Ignauos, qui nec vigilare, nec quidquam facere volunt, relinquamus, ad quod se cunque studiorum genus adplicent. Tempus autem cum simul pluribus neque negotiis, neque disciplinis impendi queat, quòd vnaquæque res suam horam, siue diem, siue etiam annos postulat; hinc eueniebat, vt qui dulcissima illa, eademque prima omnium, maximeque necessaria rectè loquendi atq; viuendi studia delibassent, in iis immorandum sibi, saltem tamdiu, statuerent, non donec ea funditùs exhaurirent, quod fieri non poterat, sed donec absque duce tutò possent progredi. Non nego aliquos non consilio meo, sed arbitratu suo, captos vtroque illo studio, in iis perseuerasse, vel quòd nihil sublimius iudicarent, falsòne an verò, neque nunc determinarim, vel quòd fortunati, quæ ad augendam rem priuatam facerent, sibi sequenda non arbitrati, ea tenuioribus æquo animo relinquerent, vel quòd se ad contro-

controuerſias ſentirent parùm idoneos, bona ratione, ingenii animique viribus exploratis: alios acceſſiſſe, non tardè quidem, ſed lentiùs ad diſcendum iuris ciuilis ſcientiæ diſciplinam, quàm aut vulgò fieret, aut plærique fieri probarent: quibus tamen ea mora infeliciter cedere non potuit, cum paratiores ad id ſtudium accederent; paratiores autem non ætate ſolùm, ſed rebus tam neceſſariis, vt longinquum iter ingredienti opus eſt viatico. Primùm autem hoc aio, vti bonæ indolis multos ad illas artes primarias allexi potiùs, quàm perpuli, (quis enim inuitum ſeruare in animum inducat?) ita me neminem omnium auertiſſe à ſtudiis, quæ vel colere cœpiſſet, vel colere fuiſſet iuſſus à ſuis. Nobiliores autem & opulentiores ſæpè dixi natos reipubl. quibus exercenda virtus eſſet maximè, & colenda facultas dicendi. Quibus autem animus magnus non eſſet, quid iis profore quis dicat mera ſtudia fori, quæ non magis ſtrenuè eſſet tractaturus, quàm ignauus arma, quæ multa egregia paraſſet cura etiam magna? Non enim paucos vidimus, longè ſanè progreſſos, & ad diſputandum promptos, qui nec cauſas feliciter tuerentur, nec augerent iſta arte patrimonium: quæ ipſis initio propoſita fuerant. Cum igitur non hodie primùm, ſed tum quoque aliqui me reprehenderent, non prorſus litteris carentes, ſed docti, vti habebantur, & fieri poterat, vt eſſent, qui haberentur, nec tamen omnē rem audiuiſſent à principio. Ibi igitur ſtatim, quæ obiicerentur, diſſolui, alios erudire ſtudui: denique in quocunque

me

me reprehendi intellexissem; id, vti erat occasiō, vel epistola; vel etiam vberiore scripto declaraui, vt mea qui legeret, à me rectè doceri, & rectà iuuentutem duci, fateretur. Sparsim, & alia alibi, aperui, sed quia hisce annis non vna manus calumniarum in me magno impetu irruit, cogitaui sæpiùs, de plærisque vno loco disserere, & auctoritate, ingenio, doctrina, ætate, vsu rerum præstantis viri fulcire bonas rationes. Hæ, mea quidem sententia, per se semper constant atque immotæ manent. Sed cùm pauci de populo argumenta, quamuis vera & firma intelligant, cur præstantium virorum suffragia non etiam proferamus? vel iis nostrarum opinionum censuram non deferamus vltro? Pauci sanè sunt, qui iudicium de his rebus facere possint, aut quibus id deferre velimus. Nam qui iudicare velint, accurrunt multi vltrò. Quotusquisque enim se hæc minus intelligere opinetur? Cum nemo ferè non sibi sapiat, & regnum sapientiæ plærique sibi vendicent, qui vel genere, vel ætate, vel opibus, vel auctoritate, vel doctrinæ, virtutisque opinione multis in populo præferantur. At ego pictorem de pictura, gubernatorē de arte nauigandi: deniq; quemlibet artificem de sua arte rectissimè iudicare existimem: neque, qui sapiat, à me credo dissentiet. Itaq; dispexi, in quibus minimum desiderarem, quibus plus in omni parte tribuerem, quàm mihi tribui postularem: nec vidi nullos, qui pręstante ingenio, à primis annis eruditi liberalibus disciplinis, vetustatem haberent cognitam,

& ius ciuile, &, quæ ad ciuitatem pertinent, omnia didicissent, atque ita armati accessissent ad rempubl. & vsu rerum longè præstarent cæteris. Neque noui nullos, quibus hanc censuræ prouinciam deferre ausim: obtrudere debeo nemini. Te verò quæso, vt hoc in te suscipias, & hancce causam cognoscas, cuius ego à prima nostra notitia integritatem, doctrinam eximiam cognoui, cùm non solùm ea, quæ in vita versantur, & ad rerum tractationem faciunt, acceperis; sed & subtilissimas scientias, quibus mentem acueres, peruestigâris. Sed hic locus non est decantandi tuas laudes, ne incurram in pudorem tuum, nec mei rationem habuisse videar. Nimis enim impudentem esse oportet eum, qui, quamuis eximium hominem in os laudare non vereatur. Hoc vno & ipse satis ostendo, ex quo & alii coniecturam facient, quantum tibi tribuam, quem tot tantarumque rerum iudicem siue arbitrum esse iubeam. Nec enim eiusmodi censura cuiuis deferri debeat, nec alii, nisi earum rerum omnium intelligenti. Miror autem eos, qui non hæc omnia, sed minimum de singulis intelligunt, sibi eam vendicare, & ex tempore determinare, non quid ipsorum cuique videatur, sed quid in vniuersum ab omnibus statui velint, quasi in huiusmodi controuersia tyrannidi locus sit, non autem rationibus, quæ præstantissimorum virorum auctoritatibus confirmantur: quæ auctoritas, quid est aliud, quàm consensus rationum in præstantissimis? Patere verò, Tobia Paurmeistere, hoc

munus tibi imponi, nec, quia aliqua ex parte in-
uidiosum est, declina, nec laborem cognoscendi
subterfuge, tum rogantis gratia, tum in gratiam
iuuentutis, quam à prauis opinionibus auerti, &
ad bonas sententias traduci operæ precium est,
vt plures exoriantur, qui coniunctis viribus ful-
ciant rempublicam. Cum autem tuas hac in re
vires pridem cognitas haberem & exploratas,
confirmatus sum in hoc meo de te iudicio nouis
commentariis, quos scripsisti, & in iis elaboran-
dis iam totus es, non solùm, vt nomen tuum con-
secres futuris sæculis, sed multò magis, vt acces-
suros ad rerum gubernacula instruas pluribus &
maioribus doctrinis, quàm plærunque fieri con-
sueuisse animaduertimus. At verò neq; ego, neq;
alii accipient hîc excusationem tuam, cui quò
minus loci sit, facio tibi potestatem, vt quoscun-
que tui & ingenio & animo & multiplici doctri-
na similes adsciscas, & quos velis cunque alios.
Non enim indoctos & imperitos, nec mediocres
in hæc subsellia collocabis, quæ tua fides est: nec
obliuiscere vetus sapientiæ præceptum: Μηδὲ δί-
κην δικάσαι ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς. Nec est in omni
genere quid perniciosius hominũ generi, quàm
si quos de rebus ignotis statuere permittamus,
etsi hoc ipso nihil est peruulgatius: cui proximum
& multò deterius atque iniquius, mandare sen-
tentiæ dictionem iisdem, de rebus pluribus, in-
ter se maximè dissitis, quarum quædam recon-
ditiores sunt, quàm vt censeantur à mediocri-
bus ingeniis, nec nisi aliquo optimarum discipli-
narum colore tinctis. Vtinam supersit vnus, cui

ego in hoc genere ſecundas facilè tribuerim, quique præterea ad illuſtrandum nomen tuum plus, quàm quiſquam alius faceret. Etſi enim quisquis ſibi gloriam ipſe parit, & tu ſalutaribus conſiliis & ingenii monumentis inclaruiſti iam & inclareſces magis: tamen ex re eſt, &, ni fallor, ad nominis ſempiterni, ſiue pluribus ſæculis duraturi memoriam neceſſarium, extare aliorum non magnificas fucatasvè de viris, tã toga, quam militia præſtantibus, prædicationes, ſed honeſta & vera teſtimonia, oratione ſimplice & diſertâ perſcripta. In hoc genere nec in his locis, nec in vicinis, quod citra inuidiam dictum & acceptum velim, tantum quemquam valuiſſe exiſtimem & contenderim, quantum præſtitit Albertus Clampius, quem ego virum viuentem magni feci, vita functum admiror, & prædico. Cum enim ad ſumma factus eſſet à natura, quam ſiue εὐγένειαν, ſiue εὐφυΐαν appellare malimus; à puero ea didicerat & aſſecutus erat omnia, quæ ego in primario ciue, aut alius in eximio etiam ſenatore poſtulet. Non iterabo, quod dixi, quodque à viro quacunque in re præſtanti futuro abeſſe non debet, de naturæ bonis. Namque & in iis, quæ manibus pedibusque gerantur, ſi qua deſiderentur, non eſt, quod vlla in re quidquam operæ à talibus expectes. Proximum eſt, vt rectè quis educetur à teneris, quod cum ipſi eueniret, initio ſibi parauit viatici quod ſatis eſſet, ſi non ad ipſam arcem ſapientiæ occupandam, certè ad ciuilem ſcientiam, quo nomine complector ea, quæ ad degendam vitam & ad adminiſtrandam

rempubl. pertinent. Instructus enim iuuenis Clampius & linguis & bonis optimarum artium principiis, ad alia paranda summè necessariis, non præcipitauit se in disciplinam legum, vt plures faciunt, relictis & interdum superbè spretis cæteris. Et illam percoluit tamen, simul incumbens lectioni veterum: quam neque deinceps omisit in mediis negotiis. Nec igitur mirũ, si & ipse euaderet prudens, & cultissima ipsius oratio. Cum autem omnium liberalium artium, præter morem peruulgatum, satis haberet, in ea perseuerauit, quæ vitæ hominum priuatim & publicè seruit maximè, neque quidquam aliud pollicetur. Maturè igitur & docere hæc poterat, & gerere. In academia nostra, qua cum laude docuerit, in recente memoria bonorum est: Augiæ primus stabulum cœpit expurgare, cum nugas quasdam &pueriles& prauas eiiceret, docens ipse, quæ à principe philosophorum erant constituta, & à tot sæculis non solùm non temerè approbata, sed etiam magis magisq; confirmata. Neque non deinceps honestum locum tuebatur in explicatione legum: ex quo spatio auocatus, & in senatum principis adscitus fuit: vbi cum multa prudenter, dextrè, cum summa fide & feliciter gereret, vt fortis in acie miles, ita ille in mediis negotiis cecidit: plura maioraque meditatus, & omninò gesturus, si vita ipsi obtigisset longior. Tales ego iudices, & doctos & peritos rerum, non feram solùm, sed etiam optem, nec vereor, ne in meas illi sententias sententiam seueriorem ferant: quin, si quid melius definient, & me &

iuuentutem erudierint, quòd immortale beneficium censeam.

Cap. III.

Naturæ bonitatem & sumptus mediocres ad studia ciuilia requiri.

CÆterùm, ne ab instituto longius abeam; itá statuo, fieri nullo modo posse, vt, quē rerum natura neglexit, is rebus reconditis intelligēdis, & magnis inter mortales gerendis, idoneus sit. Faciam enim ab eo initium, quod omnes quidem sapientes ponunt, nec minus alii, qui in populo non prorsus nihil sapiunt. Hic locus à pluribus, præsertim Græcis, eximiè illustratus est, & si quis hoc agat, rem planā facilè faciat etiam pluribus: quando & rationes adferri bonæ, & exempla quamplurima, in medium possunt. Nisi generosi seminii sit, aut equus, aut canis, ex neutro aliquid eximium speres. Ad eundem modum vtplurimum orti è vili genere, etiam animo humili & interdum prauo sunt, maiorum similes, nec facti ad cogitandum sublimia, aut ad gerendum res memorabiles. Sed ne hoc scrutemur profundius, id est, quod dico, in quo non sit acumen, nec indoles egregia, de eo frustra quicquam tibi singulare pollicearis. Itaque obtusi ingenii qui essent, aut parui, paruíve animi, eorum ego nemini cōsului, vt ad illa regia studia animum adiiceret, quem primordia etiam percepturum diffiderem. Hinc cōiecturā feceris, quàm omninò paucos præceptis eiusmodi imbuere in animū induxerim. Neq; tamen si qui me cōsulerent, iis defui:

& mores animumq; ad rectè viuendum perpolire iuſſi; neque non oſtendi, quid cuique experiundum arbitrarer: neque maiora molientes, quàm aſſecuturos ſuſpicarer, deterrui ab inſtituto. Nec enim me fugit, ſtudio & labore, & vtriuſque denique pertinacia, obtineri in omni ferè negotio, quæ plæriſque nullo modo fieri poſſe videantur. Præterea ita mediocris ingenii adoleſcentes conſolari atque animare ſoleo: magnum etiam hoc eſſe, & optabile, aliquô vſque progredi, ſi nequeas vlterius. Et boni conſulendum aliquô progreſſis dixerim, & ponendum in magno bono, ſi quis inſcitiæ nonnihil abſtergat, & vitii, quantum poſſit, ex animo & moribus eluat. Gregarium enim militem, vt fortem laudamus in exercitu: nullam laudem merentur, qui in impedimentis hærent cum calonibus & caculis. Sed vt ex quolibet ligno, vt dicitur, Mercurius non fingitur; ita non è quolibet, vt è vulgo multi ſuſpicantur, τῷ ὄντι πολιτικός τις educari poteſt: quod qui non animaduertunt, non ſolùm non vſibus patriæ, ſed ne priuatis quidem vtilitatibus nati videantur: ac neceſſe eſt, eos & pœnitere infelicium conatuum, & prȩterea multis in populo eſſe deridiculo, qui inuita, quod aiunt, Minerua maiora viribus attentarint. Vt virium corporis, ita animi differentias vniuerſis, & ſingulis terminos conſtituit Deus. Hoc igitur primum ſiue principium, ſiue à Deo, ſiue à natura eſſe dixeris, non aberraris, quod ille huius conditor & ſoſpitator. Neque non ſunt plura, quæ à nobis non dependent, vt plurimum ipſa

quo-

quoque neceſſaria: non tamen ſunt in iis nulla, quæ vel animi magnitudine inuenias, vel diuinitus nobis obueniant. Quoniam generis ratio habetur in plæriſque rebuspubl. imagines maiorum nemo ſibi pepererit, nec tamen non aliqui ſuam ſibi ſua virtute & inuenerunt & conſtituerunt. Maiores tamen ad hanc rem non parùm faciunt, qui & exemplo ſunt, & animum addunt minoribus: vt contrà parentum obſcuritas plurium animos minuit, vt affirmat Euripides: ſed diuina ingenia huiuſmodi veluti cancellis non includuntur, ſed ſuapte vi in altum euolantia, ſuperant etiam reliquas difficultates. Opus item eſt, ſi non diuitiis, certè ſumptu, ad omnem liberalem educationem, quantò magis ad hoc inſtitutum? hic tamen modicus ex mediocribus quoque facultatibus ſuppeditatur. Neque nulli probitate, morum elegantia, & honeſtis obſequiis, patronos inuenerunt. Reperias enim plures in viris fortunatis, qui ſe erga virtutem & litteras munificè gerant, quàm in tenuioribus, qui ſe præſtent dignos beneficiis. Videmus enim horum plæroſque inhiare commodis, vt otioſam vitam agant potiùs, quàm vt otium liberale colant, qua in re quotidiano labore & vigiliis opus eſt.

Cap. IV.

Magiſtro præterea opus eſſe, & cuiuſmodi is eſſe debeat.

SIne magiſtris porrò in vnaquaque diſciplina nemo profecerit. Namque fabulæ ſunt de iis,

qui ſuo Marte præſtantes euaſerint, inde natæ: quòd pauci admodum diuinitate ingenii, minore negotio, atque plærique, aſſecuti ſunt, ad quæ natura ſe ferri intelligerent. Magiſtrorum autem nulla inopia eſſe videatur, quòd ſeſe paſſim offerunt, aut etiam offeruntur ab aliis, quoquô te vertas. Nam quæ huius ſæculi impudentia eſt, quis hodiè non quiduis profitetur? non etiam nulli omnia, quibus ne prima quidem elementa ſunt domi. Verùm in vberrimo iſto docentium prouentu, rectè docentium magna eſt calamitas, cum ex iis, qui hoc agunt, aut agere geſtiunt, pauci doceri ſe anteà paſſi fuerint. Vtinam ne bona ingenia in tales magiſtros incurrant. Optabimus bonæ expectationis pueris præceptores ſedulos, induſtrios, & doctos. Quicquid enim horum deſideretur in magiſtro, munus ille ſuum non expleat. In quo enim ſint induſtria & doctrina, neque cum iis coniuncta ſedulitas, ſiue diligentiæ perpetuitas, non ille valdè iuuerit diſcipulũ, quem nec doceat, nec exerceat, quantum oporteat, vel quãtum doceri ipſe experat, vel capere poſſit abſq; negotio. Faceſſat ab omni actione negligentia: ab hoc munere non minus, quàm ab eo, quod eſt militiæ principis, vbi aiunt, imperatorem à cura vacare & vigiliis, nullo momento fas eſſe. Nec verò prima tantum, in quibus ſtatim deprehenditur incommodum, ſed & minima quæque adſpiciamus. Qui iter faciat, etiamſi pedibus valeat, ſi ad ſingulas horas & in obuiis diuerticulis ſubſiſtat, menſe iter vix emetiatur, quod ſtrenuus viator biduo cõfecerit: atq;
illi

illi adeò socordi eueniet, vt, quod est in prouerbio, vel tardus assequatur celerem. Sedulum tamen etiam inuenias, nec eũdem industrium, nec satis doctũ. Quis enim nescit, neq; malitia quidquam solere esse diligentius? neque negligens omnis imperitia est: quæ omnia sibi arrogans, nihil non experiendum putat: deniq; inscitia sæpè agit & conatur omnia, vt sapientiæ locum atque opinionem tueatur. Neq; reperitur nemo industrius, in re non bona, siue etiam vili. Quod autem primum est, itemque vltimum: doctum esse magistrum oportere omnes intelligunt. Cuius enim rei magister ille sit, qui doctus non sit? hoc est, eius rei doctrina singulari & aliquo vsu præditus, qua erudiat atque imbuat discipulum. Non enim ita hîc loquimur, vt virum doctum nominamus, qui omnibus bonis disciplinis liberaliter excultus sit, aut etiam studiis sapientiæ perfectus, iisque in vniuersum deditus. Ne aberremus autem à docto magistro; & qua ętate, quoque profectu, quem doceat, & quem finem isto munere docẽdi spectet, & quid doceat, diligenter inquiram & disertè exponam. Primum autem siue primę pueritię magistrum relinquam, quod munus fortè pædagogus vnà gesserit. Namq; tales inueniendi sunt pędagogi, qui cum pręstò sint tenellis heris, tum eos ab infantia ad morum probitatem & elegantiam (vt vno verbo complectar plurima) ducant: in pronunciatione iisdem præeant: in qua re minuta, vt habetur, solet errari plurimum, & quando hic error acceptus est, non facilè dediscitur: imbibitus autem

orationem deformat in perpetuum, non ſolùm, ſi balbutias, aut aſperiore, mollioréve voce vtaris, ſed etiam ſi vel litteras non ſuo, proprioque ſono exprimas, vel littera pro littera abutaris; quæ cùm fiunt, non ſolùm offenditur & alienatur auditor, ſed à negotio in obſeruationem talium abducitur. Rectè igitur pædagogus non ſolùm loquentem obſeruabit, ſed & quotidiè legentem audiet alumnum, errantem reprehendens leuiter, in bona pronunciatione collaudãs, donec hic ſuauitatem natiuam pronunciandi ſiue elegantiam adipiſcatur. Idem non minorem operam ponat in altero, vt pulcrè ſaltem, non turpiter ſcribat puer, vt ſcripta ſine faſtidio aſpici, & cum facilitate legi poſſint. Eodem pertinet diſtinctionis perpetua religio, quam & diuus Baſilius flagitat. Vtrumque vel cum ratione, vel quia pluris ſemper feci, pluris eſſe exiſtimo, & velim neutrum negligi: quæ ita paratu facilia ſunt, & iis præditum ornant in perpetuum. Relinquam & ſecundum magiſtrum, quamquam pædagogus ille primus idem fortè præſtiterit: nec dicam, quemadmodum à pronunciatione & ſcriptione, ſiue vnà cum iis, inflexiones dictionum ille doceat, & cætera omnia, quæ in puerilibus grammaticis comprehenduntur, minimè quidem negligenda, quoniam abſque hiſce minutiſſimis infeliciter itur vlteriùs, ſed eiuſmodi tamen, quæ pluribus capere liceat, qui nunquam aſpecturi ſint doctrinarum veſtibulum, nedum introeant in ædem ſcientiæ. Ad magiſtrum venio, ſiue ad magiſtros: poteſt enim fieri, vt vnus, idém-

idémque eodem tempore, præsertim in diuersis, commodo suo vtatur vno atque altero. De magistro cogitare iubeo, qui suscipiat docẽdum, adolescentem iam, ingeniosum, discendi cupidum, perceptis iam elementis puerilibus: eo autem fine, vt quàm breui possit, non tantùm disciplinæ legum imperii, sed ipsi politicæ se tradat perficiendum. Hic autem, ne cum certo genere hominum contentionem suscipere videar, de ipsa doctrina loquar. Huius enim vi, siue ratione cognita, cognoscemus illum doctum hominem, quem volumus & probamus, reliquos sibi sapere sinemus, nec iis inuidebimus, quibus opinio veritate potior est. Verùm doctrinæ plures sunt, sed tamen congeneres, & naturę mutua quadam connexione cohærentes: & sibi inter se præsidio venientes, vt vna alterius præsenti opera absque graui incommodo carere nequeat. Quæ sint ornamento, quæ vtiles, quæ summopere necessariæ, patebit ex iis, quæ dicemus: nequaquam autem committere oportet, vt sint, vel mutilæ, vel falsæ. Vtriusq; enim generis in omni genere circumferuntur multæ, vitandæ vtræque, hæ etiam detestandæ cum suis inuentoribus & propagatoribus. Imperfectæ illæ methodi falsò acceptantur pro compendiis, cum sint dispendia ingeniorum, & corruptelæ mentium. Somniabunt namque percepisse se, quorum prima initia nondum viderint, eaque opinione fascinati, solidi nihil expetent, ac denique aut in vniuersum spe sua excident, aut impudentia locum obtinebunt, nullo cum honore suo, malo publico. Nec ego

tamen rudimentorum quidquid ab eruditioribus traditur, improbem; ſed ab illis tirociniis ſine mora altiùs ad rem adſcendendum ſuaſerim. A falſis autem non iniuria iuuentutem deterremus, ſophiſtis aduerſati, qui incredibili ſtudio falſiſſima quæque pertinaciſſimè tuentur, nulla bona ratione, ſed maledictis in optimos quoſq; & ipſam veritatem, & edictis tyrannicis. Tyranni enim eſt, ſua iuſſa velle fieri, non perſuadere rationibus. Multæ autem ſunt & certæ notæ, quæ falſitatem prodant: de pluribus ſubiiciam hoc loco duas. Primùm, qui auctoritatem veterum, ſimulque plurimum ſæculorum eleuant, fieri non poteſt, quin à veritate longiſſimè, vel potiùs in vniuerſum digrediantur, & in caſtra falſitatis, ſiue mendacii tranſeant. Primi enim mortalium quod non viderint, id nos videamus? aut ſi mentis ſimplicitate nonnihil aberrarint, id tot ſæculis ab acutiſſimis ingeniis, & curioſis non fuerit animaduerſum? Docti autem viri à tot ſæculis per omnes orbis plagas cum rationis ſtatera appendiſſent maxima, minima, ſingula, calculis ſuis comprobarunt veritatem diſciplinarum: aduerſus rationis autem imperium temerè ſeſe & ſtultè commouent mancipia ignorantiæ. Adde, quòd illi contemptores antiquitatis, non niſi apud pueros, & in vulgo, cui ſeſe venditant, & in ſuo grege magni ſunt, eorumque fama anguſtis finibus circumſcripta ad cultiſſimas nationes non peruenit: ipſi deteſtati veritatem, quam ne quidem vt cognoſcerent, in animo habuerunt, nedum cognouerint,

non

non ſolùm ſibi inter ſe, ſed ſuis etiam pueris ſapientiæ palmam deferunt. Quod ſi hi ſe ſapere ſibi perſuadebunt, illi regnum ſapientiæ obtinebunt in perpetuum: niſi fortè præteriens hoſpes aliquis Arcadico pecori leoninam detrahat. Altera notarũ eſt, vt meminerimus, qui finem ignorant, iis, quæ ad finem tendunt, curæ nunquam fuiſſe, neq; ab iis inueſtigari, nedum prodi potuiſſe. Non eſt illis logica, inuenire verum, nec rhetorica perſuadere: ſed huius bene dicere, illius diſſerere: qui tamen malè dicunt modis omnibus, & ingenia nugaciſſimis opinionibus conſerunt, vnde iuuentus pereat: ipſi inane ſibi nomen metunt, quod tamen magis magisque maledictis in veteres & verarum ſententiarum aſſertores iactis amplificant. Dicto tantum opus eſt, de quare nemo dubitat, niſi qui ſapere eiurarit: doctrinas eſſe amplectendas, non niſi veras, easque perfectas, quoad quid & percipere valeamus, & ex vſu noſtro, ſiue etiam neceſſitate eſſe intelligamus. Nec enim omnes capaces ſumus omnium: & conſilio nonnulla præterimus, quæ noſtro inſtituto minus ſeruiunt, aut etiam idipſum nimiùm retardant.

C A P. V.

Quibus ſit diſciplinis imbuendus, qui Reip. educatur quasque addiſcere debeat linguas.

VIdeamus quę doctrinę, quo ordine politices alumno, aliæ deguſtandæ, aliæ pleniùs cognoſcẽdæ ſint. Neminem ita inſanire exiſtimem, qui muſicam, qui arithmeticam, qui geometriam

triam prorſus omittere iubeat: nec proferam Platonis auctoritatem, qui nullam legem ſine euidente ratione ſibi ferendam exiſtimauit; dicam, quod res eſt, prorſus expertem illarum artium, in brutis cenſeri ſtatim poſſe, niſi vultus repugnet. Hic enim hominem præ ſe fert. Etiam qui nihil prorſus habent litterarum; ii & ſonorum dulcedine capiuntur, & numerationes affectant, & dimenſiones conſiderant, & talium rerum ſcientes amant & ſuſpiciunt. Quæ igitur ſtudio ſunt omnibus, & omnium ingenia exercent & acuunt; mirum ſi ea negligi poſſe videantur ad ſumma contendentibus. Summum enim eſt, & reipſa principatus, præeſſe aliis, auertere à multis miſerias, beare bonis quamplurimos. Nec talium ſtudiorum modus definiri facilè poteſt: modum, ni fallor, vt flagitat quotidianus vſus, ita determinent res aliæ, quæ magis nos ad ſeſe rapiũt. Porrò magnum aliquod incommodum, ſiue remora quædam doctrinarum, incidit in plura ſuperiorum temporum ſæcula, cum qua nos etiam & minores item luctari oportet. Cum enim variæ, optimæ, ampliſſimæque doctrinæ, in quibus diſcendis opera ponenda eſt ſciendi cupidis, vernaculo ſermone comprehenſæ non ſint, vtamur & nos ſecunda nauigatione quibus prima non conceditur, & linguas ex vſu totarum gentium ſublatas, nobis non abolitas, ſed maximam partem diuinitus bono mortalium conſeruatas, aliquo ſtudio, mediocri labore, nec ita longo tempore, in vſus noſtros paremus, ſiue parare iubeamus adoleſcentes magni ingenii, & pri-

primæ expectationis. Nam quæ eximia sunt, non sunt omnium: nec quis ita me desipere arbitretur, vt omnes vno eodemque ordine censeam, cum ne quidem minuta mandemus cuilibet, sed seruulorum etiam delectu habito, idoneo in vnoquoque negotiolo vtamur, præteritis aliis. Non habet igitur locum in hac deliberatione eorum sententia, qui ipsi Græcarum litterarum rudes, contendunt in eo sermone nihil operæ ponendum: superuacaneum esse, si qua ponatur. Sanè, qui vel per ingenii tarditatem nequeunt, vel per animi desidiam nolint, neutris ego aliquid oneris imponendum censeo. Audiamus plurium linguarum peritos, quid intersit, ex origine ne an è translatione aliquid accipias. Non tantùm dulcius, vt est in vetere versu, sed etiam certiùs, ex ipso fonte bibuntur aquæ: quòd è lacunis vel aliunde multa affluunt, non aliena solùm, sed & interdum sordida. Frustra quoque de difficultate queruntur, cum pluribus exemplis constet, eum sermonem, & quem non alium? disci paucis mensibus. De adolescentulis nihil mirum, quorum vidi, qui ludibundi proficerent, vt exorsi à poëta nihil non cum fructu legerent: ipse ingenio tenui, studio peruicaci intra hiemis spatium, asperioribus superatis, in cæteris nonnihil diligentiæ sine negotio posui. Celebratur Iul. Cæsar Scaliger, qui functus antè muneribus militiæ, & in arduis disciplinis versatus, virili ætate perrupit, vt ipsum nihil lateret in Græcis scriptoribus, quotquot in manibus sunt, & cum omnibus scribēdo certaret. Hoc ipsum assequuntur

tur pauci: nec nobis propoſitũ eſt: etſi vltrò ſubrepit accuratè legentibus ſcripta veterum, ſcribendi promptitudo & facilitas, vt neque proprietatem, neque elegantiam deſideres. Recordor alibi me recenſuiſſe exempla aliquot familiarium, qui deguſtatis ſtudiis ſapientiæ, Græcum ſermonem ſibi neceſſarium rectè ſtatuerent, & ita, neque id multis menſibus, diſcerent, vt & alios, ſed cumprimis principem philoſophorum legerent & intelligerent. Hoc loco duo ſiue reprehendam, ſiue deplorabo. Non noui nullos, qui Græcum ſermonẽ ſic poſſideant, vt nucem, cuius nucleum non edant. Qui ſi agnoſcant, qua mentis egeſtate laborent, ſciſcitandum ſibi ab aliis putent, quid ſit illic boni. Non enim ſermo ille ſapientia eſt, ſed eam, ſiue eius multa continet, vt fortè arca pecuniam: illam niſi recludas; huius non magis eris dominus, atque Plautinus ſenex ollulæ, quam vbi cum auro defodiſſet, oblitus erat miſer. Alterum eſt, cui, ſi velimus & vigilemus, faciliùs medicina fieri poſſit. Nec enim nulli ad gymnaſia regia veniunt è ſcholis puerilibus, aliquid ſecum Grecę linguæ ferentes, qui poſtea de exemplo plurium, non adſpernandis principiis relictis, conferunt ſe ad quæſtum pollicentia: vtinam non ad ignauiam rectà pergerent nulli, ſiue ad inſcitiam. Nec culpæ in nobis nihil reſidet, dum aut ingenia non incitamus, aut ad vtilia, quæ ita meritò cenſentur, non excitamus. Latini autem ſermonis neceſſitatem, quod eſt quaſi pro vinculo vniuerſi orbis Chriſtiani, nemo omnium negat: ſed plæriq; ſatis eſſe

tis eſſe

tis esse putant, si quędam, & quidem vulgaria, intelligas: ita loquaris & scribas, vt ne in indignationem grammatici incurras. Quis autem hoc pusilli boni (nam vti guttula est de riuulo aqua, ita illud boni esse aliquid cur diffitear?) ieiunis ingeniis inuideat? Pigros autem ne illo quidem dignos existimem.

CAP. VI.

Quid boni afferat veterum accurata lectio iis qui vel docere in Academiis vel libros scribere, vel obire legationes volent, quid item iis qui rerum ipsarum cognitionem quærunt.

IVuentus illa, de qua nos loquimur, & per quã summæ reipubl. subueniri iudicamus, si ea inscitia cõtenta erit, nemo se eo pacto è vulgo exemerit, nec fortè admodum supra vulgus sapiet, quod magis patebit, vbi dixero, quid boni adferat lectio accurata veterum. Huius enim non vnus est finis, ac, ni fallor, secundus priore potior. Ille omnium oculis expositus est, vt puritatem sermonis inde haurias (neque enim latinè dum balbutient negligentes lectionis veterum) & ad Romanam eloquentiam accedas propius. Trium omninò generum sunt homines, in quibus valdè postulandum censeam, vt sincerè loquantur. Primos dixerim, qui aliquando in academiis docere ex editiore loco alios, in animo habeant. Turpe enim est in suo quenq; genere prodere suam infantiam, cum qua inscitia ferè coniuncta est, vel coniuncta esse non sine causa existimatur. Nec quia pauci propriè loquun-

quuntur, icircô, quod assero, quis negauerit: quin deploremus potiùs fatum academiarum; quòd non hoc solùm, sed multa præterea præter dignitatem fieri animaduertimus. Magis verò opus est secundis, qui se ad scribendum conuertunt, & ingenii monumenta, quibus suum seculum & posteritatem erudiant, in publicum edere cogitant, quamquam hoc arduum opus hodie adolescentuli, & alii vix litteris tincti sibi arrogant, vt multitudo scribentium, legentium numerum superare hac ætate videatur: quod fieri necesse est, quando hoc agunt, qui neque rerum quidquam didicêre, & elocutionis curæ nihil habent. Quibus verbis & ipse audaciam scripturientium reprehendo; si quis me non minus obiurgandum censeat, mihi iniuriam fieri nô querar: etsi mea nec multa sunt, & directa tamen omnia ad finem horum. Denique hoc studio opus est, obituris aliquando legationes ad reges & respublicas, & quidem tantopere, vt si id negligant, illius amplissimi muneris dignitatem nec intelligere, & ipsius muneris curam abiecisse videantur. Aut enim obmutescent, vbi maximè oratione opus erit, aut se in dicendo turpiter dabunt omnibus modis. Maximè enim illustri loco, vtcunque animi sensa expressisse, nemo satis esse iudicet: nemo non ex legatione laudem reportare desiderat, etiam alioquin gesta re ex animi sententia. Apparent cum preciosa veste, annulis, torquibus aureis, magnifico comitatu; an non hæc omnia superat oratio culta, consilio exuberans? Quin cætera sunt phaleræ, hæc sola legationis

gationis tota vis & anima. Orare quidem patrio ſermone in eadem natione, nec falſum profectò, & ſatis eſſe, conceſſerim: ac proinde laudo eos, qui diſerti in ſua quiſque lingua eſſe laborant, & huic rei incumbere ipſe quoque iubeam, quotquot de capeſſenda republ.,aut aliqua eius parte cogitant: quod tamen non conſequuntur illi, niſi qui ad linguæ ſuæ ſtudium artem ipſam dicendi adiecerint. Ad alias autem nationes orbis Chriſtiani oratores cum mandatis & Latina oratione proficiſcuntur: quam in promptu mihi nemo habebit, niſi qui principes Latinæ linguæ viderit. Viderit autem, qui & legerit, & intellexerit, & familiares ſibi fecerit. Non verò eſt nihil hac de re dicendum, etſi omnium explicatio huius loci non eſt. Vt adoleſcens, quos dixi, legat; id nec ſubitò, nec priuato tantùm ſtudio aſſequetur: præeunte & facem præferente cuique opus eſt, etiam ingenioſo & ſedulo, ſaltem ad annum vnum fortè & alterum, vel ad menſes aliquot, donec inter legendum commentariis ipſe vti queat. Oportet enim, vt, quod benè cœptum fuerit, conſtanter ipſe continuet, nec hoc ſtudium ferè vnquam abiiciat, etiamſi certo tempore aliud, & fortè maius, ſibive magis neceſſarium colat. Cum autē introducta ſit à nouatoribus quædam obſcurandi potiùs, quàm interpretandi ratio in ludos pueriles, qua occinuntur ea, & inculcantur, quarum aut ſcientia prorſus nulla eſt, aut ſi qua eſſe à ſciolis exiſtimetur, eius cognitio ne quidem infimum de plebe, aut aratorem fugit: ea in vniuerſum, vt inepta & friuola, & ſuper-

uacanea repudietur: & illæ horæ paullò ponantur melius. Nec est interpretari ante pedes extruere grandes commentariorum cumulos, & auditorē in vno loco mensem tenere vel annum, vnde ipsum expedire queas vno die vel hora, si tu fidelis interpretis, & ille attenti auditoris officium faciatis. Vera autem interpretandi ratio, & alibi à me indicata est, & fortè denuò declarabitur: & si quis dubitat, videat, quemadmodum se Græci & Latini grammatici hac in re gesserint, nec se supra eos sapere somniet: quorum vestigiis & hoc seculo institêre multi, quibus par debetur gratia: vt interpretandi commoda & necessaria ratio neminem facilè latere possit. Summa est, vt dictionum vis & proprietas sermonis aperiatur, simulque illorum seculorum res & negotia repræsententur. Quæ dico, qui nec cognouit, nec inuestiget, à munere interpretandi manus abstineat. Dixi de vna vtilitate accuratæ lectionis veterum: altera vtilitas in plures redundat, si quis maiores etiam fructus expetat. Habet enim lectio veterum quotidiana multum philosophiæ, siue philologia ipsa est. Cum enim scriptores, non quicquid in mentem subitò veniret, temerè chartis illeuerint, sed in scribendo non minorem ad inueniendum, quàm ad eloquendum curam attulerint; quis non dicat, illa esse monumenta sapientium, & continere, si quis animaduertat, plurimum bonæ doctrinæ ad erudiendos animos & informationem vitæ. Non enim nulla adspergunt ex intimis scientiis, quæ pauci vident, nec est cuiusvis ea eruere, quæ

re, quæ tamen non prorſus negligunt quidam interpretum, quos philoſophari etiam, nec meros grammaticos agere, in Homero præſertim, dixeris. Quod etſi ita ſe habet, non idcircò cum opinatoribus ſentio, qui philoſophiam accipere iubent ex poëtis & oratoribus, cum neutris hoc propoſitum fuerit, qui neque illam ipſam, neque eius indagationem profiterentur. Quæ autem plærique intelligunt, ad cultum vitæ humanæ pertinent: quæ cognoſcere refert plurimum, & iuuat interdum recognoſcere, vt nec ipſi in vita impingamus ſæpiùs, nec in fraudem faciiè inducamur ab aliis. De vtroque in legibus monuit diuinitùs Plato: δεῖ δὴ πάντα ἄνδρα ἓν πρὸς ἓν τοῦτο σπεύδειν ἐν πάσαις πόλεσιν, ὅπως μήτε αὐτὸς κίβδηλός ποτε φανεῖται ὁτῳοῦν, ἁπλοῦς δὲ καὶ ἀληθὴς ἀεί, μήτε ἄλλος τοιοῦτος ὢν αὐτὸν διαπατήσει. Quę ita interpretari nobis viſum fuit: *Oportet ſanè*, inquit, *vnumquemque vtrumque æquè ſimul omni ſtudio, maturèque agere in quacunque republ., tum quemadmodum nec ipſe quis vnquam cuiquam adulterinus videatur, ſed ſimplex & verax in omnibus: tum quemadmodum neque alius, qui eiuſmodi ſit, ipſum in fraudem inducat.* Locum hunc in loco produxi lubens, quòd ad vtramque rem toties mihi prædicata veterum lectio: plurimum confert: atque ita vitam hominum ſine noſtro periculo in tempore, nec longo tempore cognoſcimus: quam qui non perſpexit, & alios ille, præſertim à genere & fortunis commendatus, in errorem coniicit, & ipſe à malitioſa improbitate facilè inducitur. Vitæ inſcitiam compararim cum profundo

ſaltu, carente via regia, nec vllis ſemitis diſtincto: quem ſaltum ingreſſus, cum, vbi ſis, quò eas, dubites, ac niſi ab immanibus feris diſcerpare, in perpetuo tamen metu ſis: quas eſſe non vnius mortis mille ſpecies, non perperam ſentias. Vita, moribusque hominum cognitis, eodem ſtudio cognoris, quos deteſteris, à quibus tibi caueas, quæ fugias & deuites, quos quomodo explores, quibus fidem habeas, quos in familiaritatem adſciſcas, quomodo te in omni vitæ actione geras: denique nulla res eſt, de qua non præcepta ſalubria accipias, & boni conſilii copiam, certè ſemper aliquid, quod ex vſu tuo ſit. Nec aio, illa tantùm peti ex iis ſcriptoribus, quibus & hiſtorias annumero. Quis enim ipſam reginam & magiſtram diſciplinarum excludat? Ad quam, nec cuiuis, nec erudito ſtatim patet aditus. Nec nihil addunt anni, qui ſoli nihil efficiunt: plurimum autem, rerum ab annis pluribus tractatio. In mediis autem negotiis, & ad ſenectam vſque ea lectio, vt alimenta corpus nutriunt, ſic conſeruat & adauget prudentiam. Itaque videas, qui hoc ſtudium penitus proiiciant, quanquam habeantur prudentiores cæteris, hallucinari aliquando, ſed tum potiſſimum, cum aliquid noui accidit, vti appellamus, quod ipſi antè non viderimus. Nam ipſa ſapientia clamat, nihil eſſe ſub cœlo nouum. Quæ autem fortè ſeni noua videantur, ea iuuenis non noua, ſed perpetua, vti vel ſint, vel eſſe poſſint, ex monumentis didicerit. Hoc igitur agendum apparet: idemque vſu diſcant adultiores abſque litteris. Namque non etiam nullos videas

deas

deas de populo, libros, in vernaculum ſermonem translatos, euoluere, non ſolùm oblectationis gratia, quæ ipſa & ſingularis & honeſta eſt, ſed vt inde aliquid conſilii ſiue ſalutis capiant. Velim autem meminiſſe, ſi qui hæc legent alii, quibus me conſulere in hunc modum dixerim. Nec enim omnibus. Nec enim iis, qui ad propoſitum ſcopum non contendunt, nec quibus negauit natura eam aciem mentis. Quid tamen quis ingenio valeat, neminem experiri vetem. Fallit ſæpenumerò cenſura, è liberalitate vultus, & verborum blanditiis petita, & interdum, quem horridum, ſtupidumque cenſeas, in eo indolem deprehendas ad humanitatem.

CAP. VII.

Artem Dicendi præ ceteris eſſe diſcendam: & vnde ea peti debeat ac poßit.

EOſdem hoc quoque ſcire velim, non ita me hæc ſuadere, vt quenquam ab aliis, neceſſariis præſertim, vti ſunt leges, & ſtatuta cuiuſque reipubl. deterream: nedum progredi quenquam vlterius, qui poſſit, & quouſque poſſit, verbo prohibeam. Qui ſic de me ſuſpicantur, aut loquuntur, vel animi mei ſenſum non vident, vel calumniantur: quorum illud vel negligentiæ eſt, etſi in meis cognoſcendis (quæ vera vt ſint, do operam, magna non eſſe agnoſco) neminem diligentem eſſe iubeo, vel præcipitis iudicii, à quo non abeſt temeritas, hoc verò malitiæ. In hanc nihil dico, à calumnia ſi me vindico, hoc mihi ſatis eſt. Tantum autem abeſt, vt in his ſolis deſu-

dare & desidere quenquam iubeam, vt iuueni se ad rempubl. paranti præterea imponam, multò etiam plura & multò difficiliora, vt iudicet, qui parui animi, paruique ingenii sit, & parui simul iudicii: in quorum foro ego me non sisto, appellans ad sublimius. Non ipse hoc inueni, sed vetus est sententia, quæ palmam obtinet hactenus, vbicunq; virtuti, doctrinæq; laus est: vt qui sibi honestum locum quærat in republ. orationis quoque sibi cultum paret: neq; hîc laborabo, vt id confirmem, de quo nemo, nisi fortè barbarus, dubitet. Veteres facere plurimum ad dicendum, dixi: rectè opinor, quod & secutus fuit Latinæ eloquentiæ pater, qui Græcorum neglexit neminem, principes vnum atque alterum ne vnquam quidem seposuit. Nunc addo, ipsam dicendi artem sedulò discendam: quæ nec abdita nimiùm est, nec cuiuis obuia. Quisquiliæ sunt, aliunde allatæ, quas pro arte obtrudunt alumnis, quidā garriendi siue balbutiendi magistri. Namque elegantius ad colum aut acum puellæ loqui solent, quàm illi orare valeant: in qua re vt præstare videantur, censuram sibi de aliis sumunt, & ad dicendum producunt pueros, infantes ipsi. Ita multa ingenia pereunt, quæ ad bonam frugem peruenirent, si recta via ducerentur, & erudirentur ordine. Tantò autem pereunt celeriùs, quantò profundius imbibunt ex nouatoribus illis opinionem eloquentiæ simul, & sapientiæ; quam qui de se conceperunt, neq; in academiis hæc audiunt, nec legunt scripta veterum. Quid enim scire desiderent, qui se omnia didicisse opinantur?

nantur?

nantur? Dociles moneo, ex Tullio artem accipiendam, & ex summo magistro sapientiæ: qua de re pluribus in rhetore meo disserui, &ad rē collimaui proximè: conatus equidem sum, nec profuisse nullis meum consilium scio. Proinde eorum nihil hîc repeto, quæ fortè tamen magis etiam illustrare poteram. Gratiam quoq; habendam cęteris aio, qui aut illos interpretantur, aut ad ipsam artem, siue nobilem aliquam eius partem, quasi manu ducunt. Transeo ad aliud: nec sit, qui laborum, quos fortè quis superuacaneos dixerit, me nec finem, nec modum facere, queratur. Cur tot diuersis studiis vnus, eodem tempore, occupetur? an non vnum potiùs seriò, idq; solum vnus tractet? in vrbe quisque non nisi vnam artium rectissimè exercere creditur. Hoc verò & Platoni placuit: nec aduerser, nisi sint cognatissimæ, etsi sic quoque opificia diuelluntur, & distinguuntur in oppidis. In artibus hisce liberalibus sunt plures inter sese pulcrè cohærentes, quarum aliæ aliis ministrent: aliæ alias fulciant, nec vlla obstet alteri, eæq; à cupidis scientiæ cognosci possint, & cadit hæc πολυμάθεια in diuini ingenii aciem. Faciant rei periculum, qui non prorsus stipites sunt: nec in vino viuant, nec totos dies otientur cum æqualibus, nec de veste splendida, nec de cæsariei comptu cogitent, nec factiones alant, sed credant nulla re magis æquari inter se homines, quā studio virtutis & sapientiæ. Illa autem omnia & alia eiusdem generis, nō solùm annos, vt de nummis non loquar, iuuentuti eripiunt, sed & quicquid est mentis labefactant &

paullatim auferunt, quæ illis animi cibis alitur & augeſcit,& perficitur.

CAP. VIII.

Logicam omnino cognoſcendam eſſe: & quid ea vtilitatis cultori ſuo ferat.

VT autem arte dicendi ad perſuadendum oratori, ita cultori vel vniuerſæ vel cuiuſcunque partis ſapientię ad veritatis inueſtigationem & tuitionem, & falſi euerſionem opus eſt facultate, quæ expreſſa è ratione, logica appellatur. Sinceræ autem illius fida interpres eſt oratio, non illa populi, ſed ſepta certis, nec vnquam fallentibus regulis. Hæ regulæ ſunt inſtrumentum, ſeu lapis lydius veritatis: non quòd qui illa arte carent, (liceat enim mihi hîc ita loqui) nihil in vniuerſum veri vident. Nam neque ſenſuum integritas fallit: quin eorum ea vis eſt, vt rationem excitent, & mentem inflamment ad deſiderium ſcientiæ. Sed vbi de omnibus non liquet, quæ ſunt omninò plurima: vbi, quæ certa cenſeas, inuoluuntur tenebris, vel mentis noſtræ egeſtate, vel etiam aliorum malitia; vbi plura cognoſcere aues, & de plæriſque aliquid certi apud animum ſtatuere, ad magiſtram atque ducem hanc te ſeriò conferas neceſſe eſt. Vt enim in tua præſertim diſciplina, veritatis, tu quoque ſic fias particeps, vt ei totus aſſentiaris, in aliam partem minimè abeas, &, ſi opus ſit, quem velis, ſummo illo beneficio afficias, volentem potiſſimum, ſed aliquando etiam reluctantem: non ſegniter hæc omnia in tempore diſcas oportet, quæ ſunt illius facul-

facultatis. Liceat mihi hoc facultatis verbo vti de eo mentis instrumento, vt nos loqui sapientes docent. Discas, quæ de quibus propriè & legitimè prædicentur: ad quas classes, siue ordines singularum prædicationum particulas referas: quæ sint enunciationum differentiæ, quæ vis singularum, quæ quomodo cum quibus consentiant, quæ item quomodo à quibus discrepent: quæ quare ex quibus positis quot modis, nõ fortè, sed necessariò & verè sequantur: quæ rerum differentiæ, & earum quæ satis probentur, quæ validè demonstrentur; ex quo, quamque diuerso modo vtriusque generis materiam aggredi, tractareque conueniat: hoc pacto si quis error se nobis insinuet, nos ipsimet & alios non contumaces, (est enim vt quidam stupor in perpetuum indocilis, sic quædam petulantia siue malitia nunquam emendabilis) expediemus: denique, cum vti virtutis, ita veritatis hostes passim reperiantur, quemadmodum eorum tela excipias, retundas & confringas, confixis falsis & apparentibus rationum chimæris. Horum quædam siue prima hîc attingere debui, recensere non potui omnia: quæ, vti hodie docetur in academia iuuentus, non quidem momento, nec obiter, sed iusto tempore, studio mediocri, parari posse aio, & fieri video, profutura in vita in omnibus disciplinarum partibus, quibus te cunq; addixerit. Namque nemini fortè datur, esse in omnibus, paucis in pluribus: neque nullis tamen in earum aliquot, cognatiorum videlicet, & inter se magna necessitudine cohærentium. Hoc

verò & ſuprà contendimus, nec dubitamus præſtari poſſe à delectis ingeniis, & hoc, quem ſubindicamus, & ſimili modo. Vix me contineo, quin denuò dicam de huius tanti boni adulteratoribus: non vt iis maledicã, quos verbo dignari non oportet ſcientiæ cultorem, ſed vt quoscunq; paſſim ab iis deterream: quod facere quoque ſolent ii, & magna animi vehementia, cumq; iuſta indignatione faciunt, qui in pueritia in fraudem deducti, poſtea partim bonitate naturæ, partim induſtria melioris diſciplinæ, in rectã viam magno ſuo bono tranſiére: atque hoc pluris ego eos facio, quòd falſis repudiatis, neminem non in ſemitam veri ducere, & ad arcem ſcientiæ vnà ſecum pertrahere laborant. Te quidem, Tobia, primum eorum, quæ hactenus dixi, ſiue conſului, cenſorem conſtituo, nullius preterea extimeſcens calculum: nec dubito, quin contrà ſentientium tacita ſuffragia adipiſcar. Sic autẽ mihi perſuadeo, neminem neq; horum eſſe, quin quamuis factioni addictus, vel etiam iuratus inſcitiæ, malit, ſe iis, quæ recenſui, imbutum, aut, quoniam talium iam ætas præterierit, filium optet illa omnia noſſe, & ita progredi, vt ego faciendũ cenſeam: quas nunc rationes non indiſertius porrò exponam, quàm ſuperiores in medium attuli. Qui igitur in illis eſt, ingenio præſtans iuuenis, & modeſtus; & ſuo iuſtoque tempore, & porrò, atque etiam vnà colet hæc, ſiue proximè ſequentia, ſiue comitantia ſuperioribus. Vtrumque enim dici rectè exiſtimo: etiam, illa hiſce in perpetuum præſtolari. Reuera enim hoc ita ſe habet, maiora quæ

ra quæ ſiue ſunt, ſiue habentur, illis deſtitui non debere, ipſorumque vſum in mediis negotiis eſſe neceſſarium.

Cap. IX.

Moralem philoſophiam accuratè cognoſcendam eſſe, quod vel nulla ſit ſine ea Iuriſprudentia, vel parum reip. vtilis, nec viri boni poßit tueri nomen qui ſecundum illius præſcripta actiones ſuas non inſtituit.

NAm qui ad diſciplinam iuris doctrina de vita & moribus præterita, aut obiter inſpecta, euolant, non dico, quàm in ipſo ſtudio ſe impediant, dũ quæ natura priora ſunt, tranſiliunt: non paucos vidimus magno malo publico vel principum vel ciuitatum, & cum exitio ſuo, cauſas tractaſſe & prima negotia, non quòd leges, & earum interpretes quamplurimos, & quàm conſultiſſimos nõ ſatis ipſi cognouiſſent, ſed quòd non ſatis præmuniiſſent ſe laudatiſſima & cum primis neceſſaria diſciplina, quæ à moribus adepta nomen, animum ſimul informat, & hunc, ſi quis dicto audiens ſit, vera prudentia, omnes quoq; reliquas virtute complexa, perficit. De priore illo dicere multis nihil attinet, quòd iureconſultorum nemo negat, ex hoc fonte hauriri bonas leges: doctiſſimi quique omnibus modis confirmant; ſatis docti & ipſi intelligunt; ſi quis aliter ſentiat, tã ſtolidam opinionẽ prodere non auſit, nec poſſit abſq; iactura nominis: niſi fortè in contubernio inſcitiæ, quod auari & impudentes colunt. Quàm multa enim perceptis rectè ethicis, diſce-

diſceptantur rectiſſimè? ea præcipuè parte, qua fideliter pertractantur actionum humanarum fontes & differentiæ. Locus autem de iuſtitia Oceanus ille eſt,

Cuncti ex quo fluuii manant, & cærula ponti,

vt cum Homero loquar. Nam quid de iuſtitia aut latum aut ſcriptum eſt, aut prodi vnquam poterit, cuius ibi elementa non ſint atque fundamenta? Principia autem quemque ſuæ artis noſſe oportet: quæ qui neſciat, eum in ipſa arte ſæpè turpiter aberrare neceſſe eſt: qui aſpernetur, penſi non facere, quicquid agat, exiſtimem, modò ille ſuum, ſuorumque ventres paſcat, ſeſe imis de plebe æquans, quibus per vilitatem animi, nihil aliud curæ cordique eſt. De altero vſu mihi dicendum intelligo, multò priore, ni fallor, quod hic proprius finis eſt huius doctrinæ, & hic vſus noſtro iuueni maximè conuenit, etſi nemini non præterea. Non me ſanè fugit, quid quæque ad virtutis adeptionem & poſſeſſionem conferant. Poſt indolem enim, cuius primæ partes intelliguntur, educatio ad bonos mores & ad honeſtas actiones aſſuefactio ſequitur: nec tùm præcepta conticeſcunt & adſperguntur cohortationes, obteſtationes, obiurgationes, comminationes, quæ ſunt patrum & educationis munus gerentium. Credidi, inque me ipſo verum deprehendi, nec in paucis aliis, doctrinam pleniorem, & ex rationibus à fundamento extructam, plurimum valere ad turpitudinem vitii & virtutis pulchritudinem cognoſcendam. Quare in vtroque priſci quoque theologi (ſemper enim anim-

aduerti

aduerti & obſeruaui ſedulo) multum religioſæ operæ poſuerunt: non minimam partem officii ſui arbitrati, vt populum à vitiis deterrerent, ad omnes partes officii allicerent & compellerent, quod in ipſis eſſet. Etſi enim pauci ad decus inflammantur: plærique tamen, quæ fœda facta intellexerint, deteſtantur. Quod qui maturè faciunt, etiam fugiunt, neque nullam cogitationem de fibris vitiorum extirpandis ſuſcipiunt: moniti præſertim & præceptis edocti, & rationibus eruditi. Hoc enim & tempore & ratione prius eſt, vt fundum animi à tribulis expurges, ſubactum omni ratione probis virtutum ſeminibus conſeras, nouam ſegetem munias. Aliis hic labor grauior eſt, quàm aliis: in aliis plus difficultatis eſt, quàm in aliis, quòd alii ad alios affectus atque vitia proniores. Diuinos homines, quorum animi agellus ſit abſque ſentibus. Non eſt exors virtutis in vniuerſum, qui enormibus vitiis & publicè facilè nocentibus, caret.

CAP. X.

Maximam Reip. peſtem potentiæ & diuitiarum cupiditatem eſſe, nec facile, ſecundum Platonem, ſimul cum diuitiis virtutem conſiſtere.

HÆc grauia & capitalia noſſe, & diſtinguere ab aliis oportet, cogitantem de republ., vt ſi qua eiuſmodi ſemina in ſe animaduertat, ſelecta abiiciat, & ſi quid enatum fortè fuerit, radicitùs euellat: ſed ea videas foueri à multis adeò, quos magno animo cenſeas, de quibus ſpem maximam conceperis. Qui fouent autem, vt ſunt, inſana

ſana honorum ambitio, affectatio potentiæ & dominatus, immoderata ſitis diuitiarum, etiam in maxima rerum cognitione & ſolertiſſima tractatione negotiorum, rebusp. & regnis pericula & calamitates attrahunt, & ipſi vnà pereunt, quos antè perire præſtat, quàm tantam ſecum ruinam innocentis multitudinis trahant. Sæpè autem talibus hoc accidit, vt deprehenſi in conſiliis non bonis, propter fines non bonos, in odia incurrant rerump. & principum: & vel pœnas alias graues dent inſolentiæ inſtitutorum, vel quæ pœnarum grauiſſima putanda eſt, in animis bonorum infames habeantur, & tales fortè iactentur per ora populi. Qui eo animo ſperant rempubl., vt honorem & poteſtatem rerum ſoli habeant, melioribus aut paribus ſpretis & oppreſſis, aut diuitias in immenſum cumulent; iis meliorem mentem, ſucceſſum autem minimè precemur. Cum autem adultiores in deſperatis habeamus; in iis inſectandis nihil ponemus ſtudii, in ferendis, quantum iuſta indignatio concedit: iuuentutem cohortari & erudire par eſt, & ab iis auertere & deterrere, quibus ipſi aliquando perire poſſint, aut perdere multum boni publici. De reliquis non monebo, quæ etſi aliquorũ ſunt, non tamen eſſe videntur omnium. Nõ multum abeſt, quin ſit hic morbus omnium, quem etiam è contagio ducant, in quorum venis antè non hæreat. Statim cogitant vel cogitare iubentur, ac tantùm non coguntur à vitæ peritoribus, cuiuſmodi ſe profitentur, & habentur, qui ætate cæteris anteeunt, non vnde vitam tolerent, &

habeant,

habeant, quod ſatis eſt, ſed vt plurium exemplo pecuniam coaceruent, magnificè habitent, hortos & latifundia coëmant, tantiſper ſe miſeros cenſeant, donec à regibus arces obtineant, nec vlla parte cedant priſcis equitum familiis. Ita flagrant aut accenduntur ad auaritiam eorum animi, qui adſpirant ad remp., cum tamen nullum tætrius vitium ſit, quàm auaritia, vt ait Tullius: adde vix aliquid inter familiaria eſſe exitioſius ſaluti publicæ: ac proinde, vt idem ſtatim ſubiicit, habere quæſtui rempub. non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium. Meditari autem diuitias inter diſcendum, amorem erga patriam à natura cuique inditam in animis minuit, & paullatim delet, nec refloreſcere ille poteſt in perpetuo deſiderio atque ſtudio priuati compendii. Contrariis prorſus decretis imbui eum oportet, qui ad clauum reipubl. accedere cum laude ſua & bono publico debeat. Hæc à nonnullis lecta derideri ſcio: ſed idem ſcio, etiam eos ipſos hæc vera eſſe, & rectè præcipi, infitiari non poſſe. Mouebunt eadem tamen vnum atque alterum, vt rectè ſentiant, & rectè facere in animum inducant. Metimur autem hæc non ſolùm ex vtilitate omnibus communi, qui fortè nõ falſus veritatis canon exiſtimandus eſt, ſed ex ipſa natura, vti modò innui, quæ omnes impellit ad diligendã tuendamq; patriam, non minus quàm ſuos. Tantus autem eſt hic amor, vt optimus quiſque pro patria vitam profundere non dubitet. Qui à moderatore omnium idem conſtitutum non intelligit, ille de naturæ auctore nullam

lam cogitationem suscipit. Erudiri quisque hinc quoque potest, hoc habendi studium, quæ auaritia dicitur, impium esse, quòd vel ipsi vel ipsorum liberi rapinarum eiusmodi graues pœnas luunt: nec fuerit quis decem annos spectator vitæ hominum, quin exempla meminerit, alia audierit. Facilius autem hanc vulgi de studio diuitiarum opinionem contemnet, nec ditescendi desiderium animo vmquam concipiet, qui maturè discet, quàm diuitiæ ad vitam benè beatèque degendam parum conferant: vnde idem magnus ille philosophus prædiuites ex numero miserorum non eximit: quem illustrem Platonis locum, vt aliquando Latinè cum diligentia reddidi, adscribam. *Fieri*, inquit, *nullo modo potest, vt iidem sint, supra modum diuites, & viri boni: quos quidem homines vulgò numerant in diuitibus. Nominant autem eos diuites, qui inter paucos mortales bona, magna pecunia æstimata, poßident, quæ etiam vir malus sibi comparauerit. Hoc verò siquidem ita se habet, non ipse equidem iis concedam, diuitem reuera beatum fieri, nisi idem & bonus vir sit. Fieri enim non potest, vt idem & eximiè vir bonus, & eximiè diues sit. Quid ita, dicat fortè aliquis? Quia (respondeamus) primùm comparatio bonorum, & iniustè & iustè facta, duplo amplior est altera, quæ non nisi iustè fit: deinde sumptus, qui neque in res honestas, neque in turpes fiunt, honestis sumptibus & in res honestas factis, duplo minores sunt. Numquam igitur is, qui contrà facit, quàm illi, quos duplo plus coaceruant, & duplo minus impendunt, ditior fieri poßit. Eorum autem alter vir bonus est, alter non est vir bonus, eô saltem, quod parcus est: atque hic interdum est omnibus modis malus,*

bonus

bonus autem, quod modò dictum fuit, numquam. Qui enim iustè & iniustè opes corradit, & neque iustè neque iniustè impendit, diues fit, quando parcus est: at alter omnibus modis malus, cum vtplurimum luxu perditus sit, prorsus pauper est. Qui verò sumptum facit in res honestas, & tantùm iustis modis rem facit, ille haud facilè diuitiis possit excellere, neq; ad extremam paupertatem redigi. Quare recta est hæc nostra sententia: non esse bonos viros, qui immensas opes possident: cumq; boni viri non sint, neque beati sunt. Hactenus ille, qui in sua ciuitate immensas priuatorum opes non ferebat. Nos verò etiam dabimus, amplissima priscarum familiarum patrimonia videri iustè parta: nec de proceribus propterea sinistrè ominabimur. Sunt enim inter eos, qui fortunis rectè, ac præterea munificè vtantur, & rem familiarem augeant, absque iniuria cuiusquam. Fieri enim hoc facilè potest, vt in omnium rerum perpetuo prouentu indies asseruetur aliquid, vnde nec iustitia, nec iure humanitatis violato, paullatim cumulentur opes, quarum vsus sit, vel in calamitate nec opinata, vel necessario tempore patriæ. Ego mediocres hîc appello, & tenues, nec non humili prodeuntes loco: quorum industria multis erit vsui, & laudem merebitur, sit modò absque auaritia. Namque rei studium, quod cuiusque conditioni respondeat, à nemine iure culpari potest. Horum tamen inuidebo nemini, qui nec astutia, nec malis artibus, nec siti pecuniæ, sed meritis & beneficentia regum & rerumpubl. emerserit, & res suas constituerit. Namque scitum est, virtute & conseruari & parari fortunæ bona. Neque tales

ego nullos noui familiariter, quos & ab aliis diligi lętor, & noui bene audire à populo. Hic enim & rectè factorum testis est locupletissimus, quòd illa, non nisi fastidiosè probat, & reprehensor secus admissorum acerrimus, vt qui erratis vix ignoscat leuioribus, & carpat sæpè rectè facta, & consulta, si euentus minus respondeat. Cum multa autem sint animi vitia, in quibus exuendis, & affectus plures, in quibus emendandis iuuenem nostrum laborare iubeamus, de hoc vno, quo maximè, crebriusque nocetur, pluribus verbis tantùm egi, in cæteris ponet quisque multum item studii, eo præsertim, quo se vrgeri potissimũ sentiet, quod alii magis ad libidinem, alii ad iram, alii ad alia magis inclinant. *Virtus est*, inquit Horatius, *vitium fugere & sapiẽtia prima Stultitia caruisse.* Neque nihil verò hic dicit, neque omnia. Fortè qui sordes abluerit, formosus sit; quem natura pulcrum fecerit: hîc alia ratio est. Nam quemadmodum, qui sordidum palliolum abiecerit, hunc proinde non eleganter vestitum dixeris, quem non nisi nudum aspicias: ita qui multa labe pectus expurgarit, neque dum virtute animum expolierit. Hoc quidem cum illo studio proximè coniunctum, sed nouum & magis arduum, & ei perpetuum, qui benè de patria mereri, & omnes partes officii principis reip. explere desideret. Qui hoc sibi non habeat propositum, neque, quo dixi modo, se ad hoc summum diuinumque in vita munus paret, ei cur laus ciuilis sapientiæ rectè tribuatur, caussæ nihil video. Maneo igitur in sententia, quam in Propolitico

tra-

tradidi, qui non ſit vir bonus, eum nullo bono ſuo, & peſſimo publico, operã poſiturum in præceptis politicis, & iis diſciplinis, quibus politice ſemper vtitur. Illa namque ſine virtute ſunt gladius anceps: ſemperq; ſit metuendum, vt quemadmodum furioſus in ſuam aliorumque perniciem, ita malus illis & ſuo & publico malo abutatur. In hac igitur parte plus operæ eſt initio & perpetuò ponendum, quàm in cæteris omnibus, quorum ego tamen nihil negligendum dixerim: ſed quo ordine quid fiat, & à quo, quomodoque affecto, illud primum omninò operæ precium eſt. Alterum ſcientem politices haud negarim, politicum eſſe non conceſſerim, niſi quis verbo abuti velit, quod ipſe non faciam, ipſam animi inductionem à cognitione rerum multiplici non ſeparans: addo hoc, quod cùm politici anima & tota vis ſit prudentia; nemo mihi prudentem oſtenderit, niſi virtute præditum: nec mihi, qui ſapiat, hanc prudentiam diſiungat excludátve à politico.

Cap. XI.

Qua ratione quóq; ordine ad Iuriſprudentiæ cognitionem veniendum.

OPtandum neminem eſſe iuriſconſultum, niſi idem iuſtus ſit: ſed quia fieri poteſt, vtinã hoc ſit infrequens, vt iuriſconſultum agnoſcas, in cuius animo & moribus iuſtitiam, quæ reuera ita eſt, vt dicitur, nõ deprehendas, quam nemo non tamen prę ſe fert, & ea prima laude ſe ſpoliari nolit (quod neq; tentandum in quemquam eſt, nec

quis abſque famæ ſuæ periculo faciat, quod rectè quoque legibus cautum eſt) iccircò cultorem diſciplinæ legum in hac diſciplina morum ſtatim educari, & in ea confirmari, & ipſi priuatim & publicè expedit: neque hoc ſtudium moram iniicere ad forum properanti, putandum eſt, vt qui maturè, quo vult, veniat, nullo incommodo publico, maiore etiam ſuo, non ſolùm ingenii laudem, ſed boni ſimul viri nomen reportans. Res autem ipſa tam clara eſt, vt explicationem vlteriorem poſtulare non videatur. Vbi enim nihil dubii relinquitur; quid in manifeſtis rationibus conſectandis & referendis hæreas? Mihi tamen cauſſæ plurimum eſt, vt hunc locum minimè abrumpam, quô pleniùs me vindicem à calumnia, quæ, pro gratia, quam mihi deberi æquus arbiter cenſeat, irrogat infamiam, quod in ipſa eſt. Cum enim ab initio, quanto quis alius ſtudio, rem litterariam promouere, & ſtudia iuuentutis adiuuare opera & conſilio cœperim; non poterat fieri, quin à me diſſentientes ſola ſententia offenderem. Ferè enim vnuſquiſque, quæ puer didicit, & mordicus multam ætatem tenuit, vera arbitratur, & quam ipſe ſibi arte ſua qualicunque auctoritatem peperit, eô pertinaciùs præceptas opiniones tuetur. Paucos inuenias, qui ſeſe retexant, aut errorem ſuum agnoſcant: plærique aut inſcitia aut malitia meliores ſententias repudiant & calumniantur, tum ipſas, tum earum interpretes. Id mihi ab initio euenit, quod ego tum contempſi: perſequens nihiloſecius, quod non inconſultò & rectè inſtitueram, ſiue domi doce-

rem,

rem, siue publicè: neque eram in lucubratiunculis alius. Sed ad capita veniam: quorum vnum mihi, meam caussam agenti iterare liceat. Primùm igitur studioso legũ, nequaquam nimiùm impero. Primùm enim non induxi in animum, consilium præceptáve dare, neque futuris, non nisi patronis litium, neque seruulis eorum, qui in scribendo manum requisiti elocant: nec quorundam querelis quicquam respondeo, qui per ingenium, vel per fortunas aliter id studium instituere nequeunt. Quod enim cui natura non concessit, quod fortuna negauit, nemo facilè resarciet, nedum ego. Qui etiam aliud ipsi spectare nolint, per me & hi & illi adspernentur cætera: optima qui ignorare malit, satis iam graues negligentia pertinaciæ suæ pœnas dedit. Nec in eo peccari à nobis putem, qui aduolantes primùm è scholis puerilibus, profectu & annis pueros, iubemus, non illotis manibus, sed initiatos quibusdam Musarum sacris, non ἐρεσχελίᾳ tantùm hodie vsitata, qua ingenia explorantur, sed eruditione vnius alteriusque doctrinæ pernecessaria & studio humanitatis: etiamsi ornamenta, quæ ignobiles & sordidæ naturæ pro nihilo habent, prætereantur; ad disciplinas πρακτικωτέρας transire: quorum meminimus, qui mihi, meisq; familiaribus pro hac commonefactione, deinceps gratias egerint. Meum autem consilium apud hos potissimùm vrgeo, qui vel in primis reipub. subselliis locum quærunt, vel affectant cathedram in academiis, vel aliquid prodere monumentis litterarum in animo habent. Iniuria

quoque graui me afficiunt, qui à tam nobili & necessario legũ studio per me abstrahi susurrant, prȩsertim non neglectos à fortuna, & nobili loco natos. Hæc autem quid est, si non calumnia est? Quod si quis aberrantem è cursu reuocet, qui rectiorem tibi semitam monstret, eíne succenseas? Gratias potius agas, opinor. Eam ego iuuentutem nobilem, quæ rectà contendit ad remp., quod ni faciant vltrò, propter genus eô rapiantur ipsi, non præditi iam nullis litteris: cum quòd ingenia amo, tum propter ipsam rempubl., cui iam adolescũt; de officio doceo primùm, & quid quando quo ordine litterarum colant, ostendo, si qui ad me eo nomine mittantur, aut me adeant ipsi, aut nobis eius rei occasio casu nascatur. Hoc namque benignior & ab inuidia alienior iudicari debeo. Liquet ex aliis meis lucubratiunculis, quod potissimum tamen & maximè hac declaratum volui, quid in rem consulam: neque non intelligo, quid cuiq; pro captu ingenii cõsulam: in quo neq; ipse facile aberrauerim, si quis mihi auscultans, duri aliquid laboris suscipere, qui dulcescit tamen breui, quàm sodalibus, qui etiam lectissimi, quotidiè aliquot horas auferũt, operam dare malit. Neque, dum adolescentes nobilissimos ad historiam, ad studia sapientiæ, ad eloquentiam inuito, aut etiam pellicio; iccirco auerto à scholis iurisconsultorum quemquam omnium, neq; hoc in vita mihi in mentem venit. Neque verò legum disciplinam vnquam parui feci: qui flocci facere ausit, malum virum esse, aut pestem publicam pronunciare non dubitem.

Nemo

Nemo illud familiarium de me ſuſpicari poteſt: ſic tamen malitiosè de bonis interdum ſuſurrant inuidi. Et enim inſcitia identidem pro ſe cauſſam dicit, & deſidia ſibi patrocinari non negligenter ſolet. An ignoremus autem ſalutem omnium eſſe ſitam in legibus? eamque ciuitatem ruinam minari, vbi bonæ & ſtatui congruæ leges non ſint, aut nõ obſeruentur religiosè? Namque hoc multò maximè opus eſt, vt non ſolùm conſeruentur atq; explicentur. Ἐυνομία δ᾽ εὔκοσμα καὶ ἄρτια πάντ᾽ ἀποφαίνει. Hoc ipſum, & cætera Solonis, didici adoleſcentulus, & ex prę̨ceptis philoſophiæ nihil ab his diuerſum auditores & familiares meos docui: Germania hoc nouit, etiamſi diſſimulent, qui mihi malè volunt. Malitia enim etiam hoc excogitat, à me excitari, qui neſcio qua de re cum iuriſcõſultis hoc ipſo in loco contentiones ſuſcipiat: quod etſi nemo hic eſt, qui ementitum eſſe neſciat, tamen diſſeminatum, alibi creditum fuit, vt de nobis propterea longinqui iuriſcõſulti in celeberrima ac. ſiniſtrè opinarentur, quod amicorum litteris quærentibus, vt ſeſe hoc habeat, ad nos perſcriptum fuit. Nec enim, qui mores meos, & perpetuam modeſtiam, qua cedo mei ordinis nemini omnium, quod ipſum præter modeſtiam fortaſsè cui aſſeuerantius dicere videar, nouerũt, hoc ſibi de me, meiſque familiaribus perſuadere poterant. Ac ſanè furiæ eum agant, qui non ſolùm contra ſtimulum, vt aiunt, cum magna ſit, & ſancta eſſe debeat iuriſconſultorum dignitas, ſed aduerſus veritatem aliquid auſit, cuius ego me ſtudio in

maximis, minimis deuoui. In maximis autem vna est disciplina legum. Ad innocentiæ meæ fidem pertinet, quod neque in academia Rostochiana, neque in hac Iulia, quis ostendat mihi illius, aliorúmve ordinum quemquam, quem ego non prosecutus omni beneuolentia insuper coluerim: nedum de vno omnium malè, siue re siue verbo sciens meritus sim. Nec vnum omnium video hodie, qui se palam atque in os mihi hostem profiteatur: & quanquam liberè loqui soleo, idque semper absque contumelia, nemo tamen se petulante verbo à me læsum queri potest: qui faciat & probet, ei satis ipse vel deprecando fecero, vt omnibus confirmem, me volentem esse iniurium in neminem. Aliorum autem animi in mea potestate non sunt: & vetus est, à nolente nemine beneuolentiam extorqueri, quod dicas tamen interdum fieri integritate perpetua & inexpectatis meritis. Est verò animus meus ita in potestate mea, vt leues iniurias tolerem silentio, insignes depulsa saltem contumelia vlcisci non desiderem, & hoc agere homine moderato indignum putem: in quibus ipse & esse & haberi semper studuerim. Quod ad hanc rem, numquam cuiquam auctor extiti vllius liberalium disciplinarum flocci faciendæ, aut negligendæ: consului autem in medium, quod faciendum erat, pro differentia ingeniorum & finium, quos sibi quisque proponeret: & ne ad alia digrediar, in hac ipsa disciplina legum non segniter pluribus versandum esse censui, quod munia fori plurima, nec vllum patiatur negligenter haberi resp., & sum-

ſummam & ſingulorum ſalutem fideliter procurans. Sequantur, quod videatur, qui ad ſubliniora non adſpirant, ſiue conſilio quodam ſuo, ſiue quocunque alio modo retardati. Multò plus laboris in hac diſciplina ſumere oportet eos, qui aliquando primarias cauſſas agere, aut de iure reſpondere in animo habent: de quorum neutro cogitant aliqui, locum tamen honeſtum petentium in ciuitate. Hos quoque laudarim, ſi quantum valeant per ingenium, & cætera ſtudia, ipſi quoque contendant ad iuriſprudentiam. Namque in curia non minus opus eſt legibus, quàm in foro. Leges enim quotidiè multa conſilia dirigunt, ſiue de bello, ſiue de pace, ſiue de cæteris, quæ quotidiè in conſultationem veniunt, inſtituatur deliberatio: nec facilè ſinunt ſenatum aberrare, quæ tot ſæculis inuentæ proditæque ſunt ad conſeruandam ſalutem generis mortalium. Statim enim, qui in aliquam legem impingit, ad labefactandum bonum publicum contendit etiam inſcius. Tali ignorantia cum peccare affine graui culpæ, & omninò nefas ſit: & leges in tempore cognoſcere, nec eas vmquam deponere, imò perpetuò in conſpectu habere oportet, ne ab illis digrediens, aliquid inuenias publicè mali, dum vel de malo auertendo, vel de conciliando bono conſilium capis. Hæc cauſſa eſt, cur ſenatorem iuris non imperitum eſſe velimus: aut præſtans iuriſconſultus vnus atque alter in ſenatum vocentur, qui conſilio cæteris viris bonis, atque prudentibus præſtò ſint. Si ſub bellum Germanicum annis abhinc pluſquam ſexaginta, hæc in

deliberando ratio fuiſſet obſeruata, nec principes, nec ciuitates in eas calamitates præcipitaſſent, nec turbatũ fuiſſet imperium, ac ne tumultus quidem exortus: etſi me non fugit, prout homines hodie quoq; ex quãuis longiſſimo interuallo affecti ſunt, ita iudicio vel in hanc, vel in illam partem inclinare, neque neminem ſuſpicaturum, me nimis audacter pronunciare de præteritis, quorum ego conſiderationem cum ob inſtantia, tum ob futura non relinquendam cenſeam. Ex illo autem magno malo, quod euerſionem omnium ordinum & vniuerſi ſtatus Germaniæ mutationem minabatur, nata lex, ſiue accuratius conſtituta, & ſancita ſeuerius, de pace publica, ſalutaris communi patriæ, quamdiu religiosè obſeruabitur: cuius tamen violationem meditari nemo poteſt abſq; diſcrimine extremo ſalutis ſuæ. Perire enim neceſſe erit vnum atque alterum, quorum violentiam ſimul cęteri omnes reprimant. Plures enim ſemper in hoc conſpirabunt, niſi fata nos vrgeant, quæ mortalium nemo declinare poteſt, quæ tamen plærique diuinarum humanarumque legum contemptu accerſimus. Si hodie hæc conſilii capiendi ratio ab omni ſenatu, qui politicus nominatur, (ſit autem etiam, ſi illam ſequatur) obſeruetur in controuerſiis de finibus, & adeundis ampliſſimis hæreditatibus, & ex determinatione iuris ſtatim herciſcantur familiæ, nec quiſquam cupiditate potentiæ ſpeciem iuris quærat potius, quàm ius imperii; concordia fruamur vniuerſa & optata mortalibus felicitate, tum ea, quæ prima,

vera-

veraque est, tum altera populari: qua certo modo voluptates non enormes, non absque ratione laxantur plebeculæ, & omnibus, qui manibus opus faciunt aliorum bono, ac potissimum reipubl.: nec verò ausint alii atque alii se commouere in superiores petulantius & contumeliosius. Si in singulis prouinciis ad amussim legũ consilia examinentur, tum nec ordines conturbentur, nec habeat, quod queratur populus, habeant autem moderati principes, quod gaudeant, & regiæ dignitatis, cæterorumque magistratuum auctori gratias agant, qui de sua potentia ipse ad benefaciendum quamplurima communicat, idque largiter. Qui tantum tribuit iurisconsultis, an non eos summo honore adficit? ipsam autem scientiam, siue iustitiam πάρεδρον διὸς agnoscit & prædicat.

C'AP. XII.

Solam legum disciplinam Politicum non absoluere: & quænam præterea ad hunc requirantur.

SEd quemadmodum interpres cõsiliorum eloquentia, quod olim & adfectabat, & in populo obtinebat, non est illa politice, sic neq; sola disciplina legum, quod principes eius ordinis, neq; ipsi negant, & se cum causidicis & meris iuris cultoribus cõparari, aut iis annumerari, iniquè ferunt, cum & aliis doctrinis, & longè amplioribus exculti sint, & vsum rerum sibi multorum annorum spatio, & perpetua negotiorum tractatione compararint. Non gloriabor, vt hi me-

cum

cum ſentiant, ſed me cum illis ſentire profitebor. Qui cum non errent in hoc ipſo, quod vel ſolum vel maximè omnium intelligunt (hanc rem enim, aut ipſos, aut neminem omnium intelligere, manifeſtum eſt) fortaſsè me imbecillioris iudicii, certiorum ſententia nitentem erroris certè reum non agent: quod ſi qui imperitiores hoc audebunt, ad illos ego prouocabo, quos ſi æquè, vti me contemnent, patiar æquo animo, vt meliora, bonis rationibus cõformata, nos doceant. Qui nos cum ſtomacho, vti parum culti ſolent, obiurgabunt, eos abſque ſtomacho dimittemus. Niſi enim rudes eſſent, genera diſciplinarum non miſcerent, quæ diſcernere nouerunt eruditi. Non profectò, quæ iuriſconſultus nouit, omnia ſunt iuriſconſulti: quod in remotioribus videre facilè eſt. Nam ſi vel poëta ſit, vel fidicen, vt elegantes paſſim nouimus, nihil ad illam ſcientiam pertinet; ſic neque ſi diſertus, ſi philoſophus, ſi hiſtoricus, quę in politico tamen cum legibus quodammodo requiras, & hęc tamen non cadunt in iuriſconſultorum neminem: In Græcis rebuſp. & Romana, paſſim erant oratores, neque tamen, quia Pericles & Tullius de ſumma reipub. ſententias in concione & ſenatu dicebant, quoſcunque illos rectè ſenatores diceres, tamen illis quoque ſæculis in Græcia diſerti viri de ſe ita ſentiri volebant, & ſic alii loquebantur, qui rem ipſam non ſatis intelligerent. Vides, Cl. Tobia, & quæ ſit mea de ſingulis animi ſententia, & quæ quorundam ſuſpicio, quæque, niſi valdè fallor, peruerſa de tota re iudicia. Imperitiores vi-

tes videlicet sibi ea derogari suspicantur, in quorum possessionem non venerint, quibusque non studuerint: qui, si rem recta via reputent, moniti ad ea se quoque conuertant, quibus in comitiis & consultationibus magnis, vel à prudentibus moniti, vel à rebus ipsis edocti, opus esse intelligant. In his nemo negat esse eloquentiam: qua cum in legationibus opus sit, non fungetur eo munere iurisconsultus, sed orator, quem iurisconsultum esse nihil vetat, nec quisquam improbat, & eundem ciuilis scientiæ rudem esse non oportere, vel ex vulgo quis intelligat. Solent enim & hi, si non ex consiliis, quorum non est existimator idoneus priuatus, saltem ex moribus existimare de aliis. Politicæ autem aliquid nosse, cuiuis expedit: nec eius exigua parte cuique in vita locum honestum tenenti opus est, iurisconsulto potissimum. Nihil autem magis ridiculum, quod tamen frequentatur maximè, quàm eius disciplinæ, vel omnem, vel singularem scientiam sibi vendicare, cuius cognoscendæ horam nunquam dederis, cum ne minimum quidem rectè geras, quin didiceris: ineptum etiam, & à ratione procul remotum, somniare, rem omnium maximam, & difficillimam homini obuenire, non auditam, non exercitam diu, & vix aliquando tentatam. Ne ab informatione iuuenis nostri abeam longius: in legibus eum esse oportere postquam affirmauimus, & confirmauimus, vt opinor, satis: quod vel tuendi mei, vel explicandi nostri consilii gratia, opus fuit, res gestas omnium sæculorum omniumque gentium cognosse eundem

dem oportere, ne quidem videntur negare, qui nostram disciplinam sugillant potiùs malitiosè, quàm seriò & constanter improbent: cum & ipsi ad historias sese referant, adulta etiam ætate, siue ne earum penitus rudes habeantur, siue vt ex iis fructus depromant ad vitæ rationes. Quantum autem illę conferant, nunquam ignoratum, à priscis quoque explicatum est, nec, vbi locus esset, à me præteritum. Audiui qui politicen, vel ex ea sola perfici dicerent, nec id prorsus falsò dici largiar, & fieri posse existimem, si quis idoneum ad hanc rem ducem nactus sit, qui statim explicet, quod à quibusdam editis quoque lucubratiunculis factum est, quemadmodum cum fructu res gestæ legantur. Sed tutiùs est & aliquid perfectionis promittit, iis gradibus ascendere, quos quasi digito ostendimus. Quod ad historiã, recordor me de ea non attigisse aliquando nihilcumq; quæ illò pertinent ab aliis singulari studio pertractata sint plenius & ipsos consulendos, & vndecunq; aliquid boni consilii petendum, censeo. Proinde & in hac parte hoc loco ero breuior, præsertim cum nostra iuuentus, in id, quod primum est, intenta sit. Namque dum hic sum, & publicè, & à priuatis magistris, geographica sedulo tradita sunt. Laudo adolescentes, qui cum illa cœlestia, à quibus hæc ima dependent, & sine quibus considerari ipsa nequeunt, aliquam partem quotidie contemplentur & discant, tum terras & maria, in quibus sedem temporariam habent animalia, & res ab hominibus geruntur, mente ita perlustrant, vt habere videantur

in o-

in oculis loca, in quibus ſimul ſpectent & audiant, quæ ex illa lectione diſcant. Monerem porrò, niſi qui hæc non ſegniter delibauere, vltrò facturos crederem: ſed quis reprehendat amicum monitorem? Reſpiciant ex illis principiis ad accuratiores deſcriptiones: hoc ni eſſet neceſſarium, tales hiſtoriarum ſcriptores præteriiſſent: quorum in hac etiam admirari licet, & laudare oportet diligentiam. Cæterùm, vt loca ipſa oculis etiam videre aueamus, ita de tempore lectori conſtare & expediat & oporteat: quo magis in omnibus luceſcat veritas, neque nulli ſunt ad deſignationem temporum duces: etiamſi inter ſe aliis atq; aliis de cauſis diſcrepent. Huic ſtudio ſatisfactum in hoc inſtituto crediderim, ſi non multis ſeculis aberretur. Si enim quàm proximè ad veritatem accedatur, hic pro veritate idipſum tutò haberi poſſe exiſtimem: vbi finis eſt conſiliorum aliqua inueſtigatio. In genealogiis non paucos laborare animaduertimus: qua in re ego ſuperſtitioſum neminé eſſe iubeam: vti videmur poſſe aliorum opera: niſi quorum alia de cauſſa interſit, inueſtigare, & noſſe principum familias. De potiſſima autem inter legendum animaduerſione, quô ſcilicet plæraque referas, diſce ex principibus hiſtoriæ. Quod ſi, vt Thucydides & Polybius, ita & plærique alii res geſtas perſecuti ſint, ſtatim lectionis vtilitas appareat: ſed lector ab illis eruditus, minus deinceps operā ludet. Nec nihil nos iuuerint diſſertationes ſuper hiſtoriis eruditorum hominum: quorum noſtra ætate multæ in lucem prodiere, extero potiſſimum

tiſſimum ſermone. Vnum præ cæteris monere cogitabam initio:nec omittam:hiſtoriæ ſtudium ſtatim ordiendum ſub ipſam pueritiam: cuius rei plures ſunt, etſi non pares cauſæ. Namque in legendi ratione ſe confirmabunt; lecta memoria retinebunt firmiùs, multò plura cupidè legent, vel animi gratia, ſeuerioribus ſtudiis paullum ſepoſitis, & in hoc eſſe malent, quàm in alea, in amoribus, in vino. Quæ non eſt, vt concedantur iuuentuti, cum ab iis nemo non potiùs omni cura retrahendus ſit, quando ne milleſimus quidem ſe non aliquando, à rebus ab inſtituto noſtro alienis, ſiue diuerſis, ineſcatum aſſeuerare verè poſſit. Namque cum illa fugienda ſemper ſint omni ſtudio, tùm hæc declinanda cuique ſunt, ne quam nobis in ipſo curſu moram iniiciant.

CAP. XIII.

Etiam Veterum ſapientum eandem, quæ eſt autoris, fuiſſe ſententiam.

TErtio abhinc anno ſuperiora perſcripſeram: non aſſcripturus aliud fortè, præter paucula, & id quod ſolenne eſt in extremo epiſtolæ. Cum autem ad lucubrationem iſtam aliquoties reſpicerem, nihil eorum, quæ perſequi volueram, magnopere deſiderari arbitrabar: vidi poſteà, poſſe nonnulla non incommodè ſubiici, quæ flagitaret lector paullò curioſior. Quamuis enim, quæ rationibus oſtenſa eſſent, pro veris acceptum iri confiderem, præſertim cum nec aliorum auctoritatem neglexiſſe mihi viderer: ta-

men vnus in iis ſcriptoribus, qui ea ita diſcerneret omnia, non fuit: qui præter, quàm quod veritati veniret præſidio, me quoque magna inuidia liberaret. Sic enim ad omnes conſtaret, mihi curam illam vnicam eſſe, neque quidquam ambitione aut nouitatis ſtudio, aut aliquando cœpiſſe, aut hodie tueri in animo habere. Fortè verò neque nemo ſibi huius ætatis πολιτικὰ oſtendi velit, contendens ἰδέας à me proponi: neque factum vnquam, neque futurum, quem dicerem: aut ſi quis extitiſſet, fuiſſe priſcis ſeculis: eiuſmodi aliquem neque eſſe hodie, neque etiam requiri, fortè etiam inueſtigari fruſtra. Hic verò nodus ſoluatur, ſi producantur vnus atque alter, in quibus quæ diximus, eſſent illa omnia, aut plęraque. Nam ſic etiam à me tradita vim ſuam obtinerent. Nam ne quidem Polycletus ita vel librum perſcripſerit, vel ſuam quoque ſtatuam perfecerit, vt de huius nulla parte dubitari poſſet amplius: aut ille lectorem ſiue diſcipulum omnibus illius artis partibus abſoluerit. Neque non tamen ille κανὼν locum ſuum obtinuit, & veram commendationem meruit. Hinc nemini obſcurum eſt, quid me ad appendicem inuitarit potius, quàm impulerit. Expedire autem vtrumque conabor. Non eſt de vulgo ſcriptorum Syneſius, qui è philoſopho epiſcopus Cyrenæ poſtea factus fuit: aſſertor potiſſimum diſciplinæ Platonicæ: videtur autem non ſolum Platonem ad vnguem tenuiſſe, ſed neque ab ipſius grandiloquentia abfuiſſe longius: diſertus, luculentus, magnificus. Laudatæ cum primis, & in admiratione fuerunt,

ipſius epiſtolæ, quarum vna eſt ad Pylæmenem, qua diſciplinarum, de quibus egimus cognationem & differentiam explicat, leuiter reprehendens, & pulcrè erudiens familiarem. Pylæmenes enim cum ſe patriæ deuinctum intelligeret, & hanc pietatem profiteretur, omnia forenſibus negotiis ſe præſtaturum cenſuit, ſiue ita ſcripſerat. In hoc luſit liberius, vt amici ſolent, Syneſius: eum iocum, cum de ſtudio erga patriam accipere viſus eſſet Pylæmenes, Syneſius, & ſe purgat, & illum docet, quæ qui ſtudia colat, quibus de patria longè optimè mereri, eiusque ſummæ ſaluti, ſi detur occaſio, conſulere valeat. Bene quoque de patria meretur: qui ius dicit, & lites dirimit: quæ eſt iuriſconſulti ſiue prætoris prouincia: & eius qui cauſas agit, quod agebant oratores, qui nec iniuria cauſidici dicerentur. Humilius autem hoc munus multò illo altero: neque dum verò hic oratorium munus explet: quod amplius eſſe contendit Plato, & longiſſimè ſemouet à vulgari facultate dicendi: quando orator, non cauſæ ſeruiens, vt aduocatus quiſpiam, ſed cum de aliis, tum de ſumma reip. & huius potiſſimis partibus rectè ſentiens in concionem prodit, vti ſolebant Romæ in roſtra. Philoſophia autem eſt, quæ primo loco rebus priuatis veriſſimè ſubuenit: quæ reſpub. ab ærumnis vindicat; quæ felicitatem populis omnium princeps ſtabilit. Loquitur autem de ipſa politica: quæ eſt philoſophia ex altera parte. Beabo lectorem ampliore doctrina. Cum enim præter hoc, quod volui, propoſito accommodatum, protulerim:

lerim, plura autem doceat, memoratu digna, Synesius, iccirco hanc epiſtolam Latinè, vt potero, reddam, atque ita efficiam, ne lectorem conſideratæ etiam huius partis pœniteat. *Minimè verò*, inquit; *per Iouem, mutuæ inter nos amicitiæ auctorem & præſidem, minimè, mi Pylæmenes, riſi tuam in patriam pietatem: non adeò ſum aliquis à ciuili hominum ſocietate alienus, aut à cultu vitæ domeſticæ: verùm tu epiſtolæ meæ mentem ſiniſtre accepiſti, & me accuſas omninò præter meritum. Ego enim, quòd Heracleam amas, & hoc toto animo agis, vt de ea benè merearis, idipſum laudo. Meis autem verbis eò ſpectabam, philoſophiam anteferendam eſſe iſti forenſi operæ. At verò tu mihi cauſſas agendo potius, quàm in philoſophia perſeuerando, opinari videris, te plus profuturum patriæ. Quî verò iſtuc? Quòd ab inſtituto tuo non abis, eius rei cauſſam in animi tui erga patriam pietatem confers. Hoc igitur eſt, quod deriſi: nequaquam autem illam beneuolentiam: videlicet, quòd perperam exiſtimas, ad hunc egregium amorem plus tibi profuturum, ſi in actionibus cauſſarum perpetuus ſis. Etenim, niſi profitear, philoſophiam hoc poſſe præſtare, vt ciuitates in meliorem locum reſtituat, refutabit me Cyrene, cuius omnium in Ponto vrbium ſtatus eſt exquiſitiſſimus. Ego verò aſſeuerem, philoſophiam potius, quàm rhetoricam, & quamcunq; dicas artem & ſcientiam, vt quæ omnibus ſit ſuperior, perficere ea ipſa inſtructum, vt & priuato, & domui, & ciuitati maiori vſui ſit. Neque tamen in ipſa ea vis eſt, vt per ſe beneficio homines afficiat. Ita enim ſe res habet, optime Pylæmenes: eximiæ illæ diſciplinæ facultates quædam ſunt, & animi præparationes, neque aliud, quàm quòd vſum ſui præbent. Sed tempora, & vtraque fortuna, ciuitatum*

negotia miris modis iactant: atque ita fit, vt modò hæc sit rerum conditio, modò alia, pro necessitate naturæ, cui res humanæ obnoxiæ sunt. Tu igitur amans patriæ es: neque verò ego minus sum, tu in rhetorica totus es: quin concedo tibi, vt exerceas non hanc vulgarem, sed rectam & generosam, quam ne Plato quidem, opinor, conatur perstringere. At ego cum philosophiam in honore habeam, tùm omnibus, quæ humana bona sunt, antepono. Quid igitur hac ipsa per nos commodetur ciuitatibus, nisi vitæ genus substratum fuerit, accommodatum & sufficiens animi nostri proposito? Opus est enim materia commoda: opus verò etiam est illi instrumentis, qui ipsis vti nouit. Hæc autem non parantur, nisi à fortuna. Quod si igitur tantum ista ratione, videlicet per rhetoricam, arbitraris te aliquando inuenturum fortunam, quæ tibi summum magistratum, vel in vniuersum, vel vicarium, tribuat: quid philosophiam propterea infelicitatis insimulas? Sin par est vtriusque conditio, neque ad secundam vel sinistram fortunam, hæc plus facit, atque illa, cur non potiùs intereà deligis, quod apparet optimum? Prorsus enim per se philosophiam tu quoque dignitate præstare rhetoricæ, sed, vt vsibus patriæ subuenias, esse tibi magis necessarium, in eo versari, quod vilius sit, existimas. Itaque à rhetorica meliora licet sperare: contra omnes dii irati sunt philosophiæ cultoribus, & ab iis felicitatem penitus auertunt, vt ne quidem illius aliquid spei relinquatur. Ego verò hanc sententiam neque in hunc diem à quoquam me accepisse scio, eam sortem diuinitus obtigisse philosophiæ, disciplinarum grauissimæ, vt ipsa esset infelicior. Verum in communi mortali natura vix conueniant, potentia & prudentia: etsi aliquando ipsa in vnum coegit Deus. Fieri igitur potest, adstipulante ratione, immò omninò necesse est, vt idem

dem

dem & philosophus sit, & amans patriæ, ac non solum de fortuna successivè non desperet, sed prorsus expectet meliora, quod ipse tantæ dignitatis est. Æque enim hodie, quod ad bonas spes attinet, potior est bonorum: quàm malorum conditio, quod etiam fertur veteri prouerbio. Qui igitur eos deteriore esse concedemus? quod necesse sit, si tuæ rationi locum dederimus. Hæc autem in hunc errorem te duxit, vt putares, tibi omninò in ista arte esse perseuerandum propter patriam. Patere enim, vt tuam aduersus scomma defensionem commutem in accusationem: quod cum non esset scomma, ita visum fuit tibi priùs, modò, ni fallor, non videtur: etenim parum abest, quin hominum mihi carissimus, me ad sacram Cyrenen grauius accusaueris. Si enim persuasum fuerit ciuitatibus, in sola rhetorica hanc vim inesse, vt præsentes calamitates ipsa auferat, neque hoc beneficium ab aliis expectari posse, quàm ab iis, qui inseruiunt de mercimoniis litigantibus, non leuiter succensebunt nobis, qui relicto tribunali, aliam disciplinam colimus. Idem igitur ego, & ad te, & ad vniuersas ciuitates de philosophia assero: quod fortuna annuente, & occasionibus philosophiam ad negotia allicientibus, nulla cæterarum artium omnium, ac neque vniuersæ, cum philosophia disceptare poterunt, qua ratione asperius habita ciuitas corrigatur, & in meliorem formam redigatur, & hominum res melius constituantur. Sin eò neque dum vergat fatum, plurimum caussæ est, vt quisque res suas gerat, nihil autem præter officium administret, nedum aliquid turbet: quod faciant, qui se in alterius curiam trudi sinant, nisi extrema cogat necessitas. Necessitati autem, vt aiunt, ne quidem dii repugnant. Nobis autem sunt alia, in quibus plus insit dignitatis: & quando mens non occupatur hisce rebus inferioribus, occupatur diuinis. Sunt enim hæ duæ partes phi-

tes philosophiæ, contemplatio & actio: ac sanè duæ facultates sunt, altera respectans alteram, sapientia & prudentia: quarum hæc fortuna eget, illa sibi sufficit, nec aliunde impeditur eius operatio. Hæc Synesius & verè & disertè, vt ex hoc ipso sententiam meam hausisse, credi possim, quem tamen initio, siue non legeram, siue legisse me, non memineram: etenim admirabiles illæ epistolæ, ab Aldo, anno abhinc plus, quàm centesimo, publicatæ fuerant, lectę & illæ & reliquæ à paucis, vt fit, à plerisque etiam neglectæ. Non erat autẽ nihil, quod de hoc præterea afferrem: sed relinquam alia, vnum monebo, quod meminisse opere precium puto: etsi neque id obscurum, & ab illo magistro haustum, cuius aliquoties memini. Scribit enim ad Dionis propinquos Plato, nisi duo conspirent, potentia & sapientia, de salute populorum confidenter interea nihil à quoquam sperari posse. Non facilè quidem hoc esse futurum neq; tamen desperandum, quod aliquando, etsi rarius euenerit, aut euenisse existimatum sit. Secundum est, vt sapientes, apud potentes auctoritate valeãt: quos principes etiam in sapientibus non falsò habemus, quando vacuas aures vtplurimum sapientum consiliis præbent. Hinc porrò euincitur, quæ in studio sapientiæ ponitur, etiam ab inferioribus, eam operam non penitus perire, sed venire præsidio vitæ mortalium, si non adeò ad parandam copiam bonorum, certè ad alleuationem aliquam in ærumnis. Etenim, vt hoc quoq; prædicem, reges & principes in orbe Christiano, nec ipsi prorsus negliguntur in prima educatione, & pleri-

plerique propensiores sunt ad benè merendum de mortalibus, quàm ad explendas tanto fastigio indignas cupiditates. Illorum certè omnium neminem videas, quin obseruari ab omnibus, & longè lateque laudibus affici expetat, malè audire verò toto animo exhorrescat. Itaque omnes calumnias diluunt, & maledicta propulsant, vt gloriam & bonam existimationem transmittant ad posteros.

Cap. XIV.

Probatur exemplis, dari eiusmodi politicum posse cuius hactenus proposita sunt requisita.

VEnio ad alterum: sunt enim, qui, cuiusmodi virum ad remp. informamus sibi ostendi postulent, non solum indoctiores, sed qui se præstare mortalibus ob potentiam, aut gratiam existimant, & hoc gloriantur interdum: & tũ anguntur animi, cum se ab intelligentibus inter principes ciuitatum non recenseri animaduertunt. Vitabo hîc, quod inuidiosum esse sentio. Nec enim quemquam prædicabo viuentium, quos tamen ego dignitatem politici non scientia solum, sed & optimorum consiliorum, ex opt. animis profectorũ copia tueri, nõ dubitem. Videri enim videar, quod vni alterivè tribuam, id eripere aliis, qui illis minores, aut haberi nolint, aut habẽdi etiam non videantur. Licebit credo, mihi absque inuidia ex iis, qui paullo ante vixerunt, producere vnum atque alterum, de quibus passim boni alii testari possint, & velint. Nec est enim

vir bonus, quin vacet inuidia: malitiam autem ne mortui quidem placauerint. Cum autem hæc optio ſcribentis ſit, ni fallor, proferam potiſſimum, non tam quos ego velim, quàm quos intimè nouerim. Et verò hos præ aliis in hoc genere deligere oportere me, etiàm alius dixerit. Qui autem mihi in mentem veniunt, eorum primus occurrit Andreas Mylius, qui Ioanni Alberto, duci Megapolitano à conſiliis fuerat: cæteros ætate ſuperarat, pridem fato functus. Cum enim alia multa, quæ non niſi ſolidi politici opera eſſe iudicanda ſunt, ab ipſo ſint profecta, tum hoc, quod alteri acceptum ferri non poterat, etſi ille & alios in huius meriti ſocietatem adſciſcebat, vir ab omni inuidia remotiſſimus, & publici boni ſtudioſior, quàm ſuæ laudis auidior. Nam quę ſunt hodiè in Megapoli litteræ, quod ſapientiæ & primarum diſciplinarum ſtudium in academia ad Varnum, quæ educatio ad virtutem per doctrinæ ſtudia, ex illius animo & conſiliis primùm profecta ſunt omnia. Mylius enim ſapientiſſimo duci ſuo ſtatim perſuaſit, quem ipſe quoque ad maxima quæque etſi ætate parem, vt potentia & dignitate maximum, aduenienſ & expetitus, otioſior, negotiis ſemper occupatum informauerat: dux porrò fratri Hulderico & ordinibus prouinciæ. Verum ego ſoceri mei laudes peculiari oratione recenſui, veritatem ſecutus, nihil mutuatus à ſophiſtica. Qui illam legerit, plæraque cognoſcet, è quibus quis ille vir fuerit, intelligat, hoc eſt, è principibus eius generis, quos præ aliis magni facimus, quorumque paſ-
ſim

ſim ſimiles eſſe plures & optamus & expediat reipub. Erat autem Miſnicus ille, ex ipſa vrbe Miſena ad Albim. Noui & è Thuringia, imò pernoueram, ab adoleſcentia æqualem meum in academia ad Albim, Henricum Huſanum. Erat hic honeſto loco natus, conſulis Iſenacenſis filius. Cum eſſet Henricus magno & ingenio & animo, & laboris patiens, quæ ſunt germanæ nobilitatis omnia, omnia maturè aſſecutus fuit: quæ in magno viro requirerentur. Non referam ea, ne ſim verboſior, ſine quibus nemo aſcendit altius. Paratis & partis adminiculis neceſſariis, ad naturæ cognitionem ſe conuertebat, animi dubius, traderet ne ſe porro arti medicæ, an ad remp. animum conuerteret: quorum cum hoc apud ſe conſtituiſſet, de more ſe ad legum diſciplinam conferebat, vt cum honore eſſet, vnde viueret, vtriuſque rei præter ætatem ratione prudenter habita: re ipſa ſtudebat impensè admodum virtuti & prudentiæ. Quæ duæ poſt omnium omnis boni primam cauſam conſtituendæ felicitatis humanæ, potiſſimæ primæque cauſſæ non dubitantur? nec ego eas diuello, quæ ſunt coniunctiſſimæ & in vnum denique coaleſcent: ambas nomino, quod virtus eſſe in aliquo dicitur, à quo abſit ciuilis prudentia: cum hæc abſque illa eximia neque exiſtat neque cogitari poſſit. Ad metam maturè venerat diſciplinæ iuriſconſultorum, quo ad ipſa in ſcholis abſoluitur, idque illuſtri loco vno omnium Europæ celeberrimo gymnaſio Patauino. Ex Italia igitur rediens in patriam, à ducibus Saxoniæ in ſenatum adſciſcitur

iuuenis. Hîc mihi attingendum est inuito, quod turbatum non fuisse, expediisset publicè: etsi ab eiusmodi narrationibus animo, sed consuetudine & ratione, magis abhorreo. Quadraginta hodie ipsi anni sunt, cum molitiones fiebant in imperio: Gothanum esse negotium lector intelligit, periculosum, vt nihil dicam præterea: neq; historia huius loci est. Ibi tum missus ad comitia Augustana Husanus ad Maximilianum II. legatione fideliter, & sanctè officio boni viri functus fuit. Sedato tumultu: cùm videret sibi commodiora futura omnia alibi, quàm in patria, ad littus Balticum in Megapoli, VVismariam transtulit familiam: in obscuro virtus esse non potest, vt ipsa velit. Non erat nemini in amplissima vrbe maritima notus, & innotuit, quibus aduenit diebus, in aula Suerinensi Ioan. Alberto: ad cuius principis aures deferebantur quotidiè quotquot erant in quocunque genere eximii, primi omnium, litteris eximiè commendati. Vidit virum, audiuit, probauit, in familiam recepit: ipsique non ita multo pòst principem in senatu aulico locum designauit. Aduenięs igitur Husanus in ordině redegit multa singulari sua prudentia: viri mores attingam verbo: humanus erat, & comis, & salsus, quod si ei inter sales, vti fit interdum, excidisset verbum ambiguum, id interpretari: si asperius, id momento lenire nouerat: si quod liberius, etiam inter proceres, subridebat, & simul videbat, quemadmodum id ipsum, item verbo in risum verteret. Hinc & ingenium viri & prudentiam æstimes,

qui quod erat, quod alii reprehenderent, nec ipse probaret, siue à natura, siue à consuetudine, arte corrigeret, & ita minueret, vt non ab omnibus aduerteretur, à cæteris minus improbaretur. Hæc ego non ab aliis accepta refero: vidi, audiui sæpius. Testes quoque si opus sit, adducam omni exceptione maiores, qui nihil horum negent, etiam ipsi illo sæculo infensi. Erant enim, vt in omnibus pœnè vicis fieri videmus, sed in ampliss. ciuitatibus & in regiis maximè: erant, qui Husani dignitati & felicitati inuiderent, sed cum inuidia erumperet, graues per infamiam pœnas dedit. Hoc autem vitæ mortalium à summo censore destinatum est præmium calumniæ. E pluribus, quæ tanti viri sunt, & in hoc omnino fuerunt, vnum proferam. Non dicam de consiliis, quæ referebat ad iustitiam, ad publicam salutem, non neglecta dignitate principum: nec quemadmodum ingratas sententias persuaderet principi absque offensa: cuius rei artem & honestam, & vtilem reipublicæ, æquè nouerant Mylius & Husanus: de qua ratione, non cuiuis obuia, sapientes etiam olim monuerant. Fuit autem & in dicendo & in scribendo prudentia & facundia admirabili, vt de memoria paullùm dicam, qua erat felice, & ita prompta, vt conceptis verbis pronunciaret omnia: & aiebat, hoc sæpè opus esse, vt quemadmodum quæque deliberata & decreta fuissent, ita ipsa fideliter certoque referrentur. Modestius Husano nemo orabat, vt virginali ipsum oratione vti diceres, qui neque sordidum verbum,

neque

neque horridum vſurparet:nedum durius quippiam in ſententiam intromitteret: quòd vehementia orationis plurium deliberationum neruos inciſos pro ſua prudentia iudicabat. In ſcribendo cauebat, ne verboſior eſſet, quàm res ipſę ſinerent: neque quidquam adfectabat: vt reperiuntur, qui abſque commoda ratione ſtudent nouationibus, & alia ad alia nimis audacter transferunt. In vtroque vel in alterutro, à bonis litteris vacui, ſibi admodum placent, cum vtrumque in omnibus linguis fugere iubeant, qui erudita dicendi præcepta nobis reliquerunt, Singulari enim ſtudio nos deterrent à monſtroſa orationis forma, & à loquacitate, ad quarum illam obſtupeſcas, ex hac nihil diſcas penitus, ſæpè fit, vt ne quidem quid velint, intelligas. Excidere enim priora, extrema audientibus, ſi fortè finis orationi imponatur, aiunt. Vni autem in ſcribendo impenſiſſimè ſtudebat Huſanus, regiis admodum congruum. Etenim in decretis etiam & diplomatis, & epiſtolis principum perſcribendis vtebatur, nouo ſiue raro, imò vero modo; regio videlicet. Reges enim, vti bona meditantur, & benefaciunt populis ſuis, ita & vultum & ſermonem ipſum paternè componunt; metui nolunt, amari deſiderant, Tragœdiæ nos illud diſcrimen inter reges & tyrannos docent. Tyrannis enim ſeruam & herilem; regibus humanam & paternam orationem tribuunt. Qui pro principibus ſiue loquuntur, ſiue ſcribunt, ad parentes populos, neque eos contumaces, quo genere orationis vtantur, ipſi intelligunt: etſi vſus diuerſum

ſtilum

ſtilum alicubi obtinuit, quem nec hic vir probabat, nec ille rei ipſi accommodatus cenſeri poteſt: quin hoſtium mutuæ epiſtolæ aliquid ſapere humanitatis debent, ſiquidem barbariem deteſtamur, neque fortè lanienam ad omnium internecionem exercere decreuimus. Negligentiæ autem & inſcitiæ tanta aliquando impudentia eſt, vt & ipſæ irrepant in regias. Quemadmodum autem illic humillimi, & nouiſſimi quique, & vultus toruitate & ſermonis aſperitate, in eos, qui foris ſunt, imperium ſibi inueniunt, ſiue ſumunt, ſi quis accipiat, ita illi neque aliorum cenſuræ, neque artium præceptionibus ſe ſubiiciunt, quorum tamen non neminem ab auctoritate præſtantium in viam reductos vidimus. Nam neque principes litteris eruditi, & regiis præceptis imbuti, neque proceres, in quibus aliquid bonæ doctrinæ & multus vſus rerum, eos in aula ferunt, cumque ipſi omnibus rebus cultiſſimi ſint, præ cæteris & probant, & amant, hos potiſſimum familiares, qui ſe & animis, & moribus, & dicendo & ſcribendo ad optimorum imitationem conferunt, & ad ipſos accedunt proximè. Quod modò expoſui, hoc erat eius viri proprium, ſiue in eo eximium: etſi in vnoquoque genere eximia, ſunt primarii ſenatoris, non tantum boni ciuis: quæ cum multa ſint, nihil attinet recenſere omnia: neque inuenias in vno omnia: neque omnia æquè neceſſaria ſunt, ſed ſingularia ornamenta, quæ tamen publicè ſuos itidem fructus ferunt. Sunt, qui non dubitent, opus eſſe non ſolum iis linguis, quæ ſunt doctorum homi-

hominum propriæ, neq; hodie in vſu certis populis, ſed paſſim optimarum diſciplinarũ cultoribus, in qua re ſanioribus ſtatim conuenit: ſed præterea etiam exteris aliis, præcipuè Gallorum, Italorum, & Hiſpanorum, quòd in perpetuo vſu ſint tàm regiarum, quàm negotiantium. Laborauerat autem Huſanus, vt eas intelligeret: illarum gẽtium libros cultiores legerat & legebat, quod à viris doctiſſimis diſquiſitiones de rebus ciuilibus fierent. Recordor cum Bellonii libri primùm adferrentur, ac deinceps de rep. Bodini (Ambo autem multa noua & digna cognitu pollicebantur & ferebant) quã auidè cænatus quotidiè ferè legeret, & vnà nobiſcum de multis in omnes partes diligẽter & acutè conferret. Eramus enim ferè quotidiè vnâ, cum in aula Suerinenſi mihi fuiſſet demandata educatio principum. Nouerat igitur linguas exteras, & earum vſum nouerat, non ſolum vt cum hoſpitibus ſermonem, ſi legati aduenisſent, inſtitueret, ſed ex iis alia diſceret, in aliis ſe confirmaret. Ita ſenſiſſe me de Huſano, quare mihi minus credatur, nihil cauſſæ eſſe existimem. Neque enim præter nudam amicitiam, quidquam inter nos fuit commercii. Neq; enim ſupra familiarium leges quidquam potuimus, cum æquè ambo apud eundem principem eſſemus gratioſi. Ita me de tanto viro ſenſiſſe, & cum in viuis eſſet, & cum media adhuc ætate è viuis deceſſiſſet, teſtimonio ſunt verſus, quos tum virtutis viri memoriæ conſulens edidi: eos erudito lectori, rem non ingratam facturum ratus, adſcribendos cenſui.

HEN-

HENRICO HVSANO, summo viro, iurisconsulto, oratori, politico.

ET tibi sæua manus iniecit Moera, nec æui
Vlterius tribuit spacium, ab HVSANE, *fruendum,*
Dignus eras, ipso Borea, vel iudice Balte,
Dulcia longæuæ procudere sæcula vitæ:
Vel quòd tantus eras: vel quòd res publica paßim
Consilii in magnos te votis flagitat vsus.
E didit Husanum in lucem Thuringias Isna,
Pulcra oris specie, diuinaq; indole mentis,
Ergo etiam cunis auulsum in musica castra
Latoides legit, & Musis ibi donat alendum,
Quas constante fide rebus veneretur omißis,
A vitæ auspiciis primis ad fata suprema.
Acceptum Albi tuis lauêre salubribus vndis,
E quibus emersit, purgato pectore quantus
Tirigetarum alius vix quisquam pinguibus aruis,
Dotibus ingenii magnis, linguaq; diserta:
Et Themis illuxit de cœlo læta vocanti:
Contulit & vigili varias Tritonia gazas,
Euganea iuuenis cum vitam degeret vrbe.
Gazis consilii in patriam se vertit onustus,
Sic ratus, huic se ipsum debere, atq; omnia primum.
Sed patria vehemens turbatum Gothicus imber
Eiicit, & Balthes in amico littore sistit,
Cœlo cæruleas quâ tollit Vismara turres.
Inde nouum iubar hoc quam latè fulsit ad arcton.
Nec mora: dux Henetûm, Sophies antistes & idem,
Hospitem ab exilio Suerinaa accipit arce,

Præfecto-

Præfectoq; ſuis rebus, (nec ſegniter ille
Primum obiit munus) præmi perſoluit abundè,
Dehinc tibi opes non Fors, tibi non inuidit honores:
At neq; fraude mala, neque vi conuellere liuor
Te valuit. Nam te rex Cimbrorum inclutus, & te
Dux Henetûm: coluere vrbes magnæ: aſtu Selenæ
Inprimis adeo ſubito te mœret ademptum:
Et muſæ lacrymas fundunt, & muſicus ordo
Ipſe grauem fracta teſtatur voce dolorem,
Quod ſibi parte ſui tam clara exinde carendum eſt.
Sed nec eris ſemper nihil, aut ignobile funus.
Nam ſi non Sophie, ſi non facundia, ſi non
Candida lethæo virtus demergitur amne;
Fama nec Huſani longo delebitur æuo.

EIDEM.

Huſani ad tumulum flauos laniata capillos,
Proiectis nitidis gemmis & torquibus aureis,
Sciſſa veſte iacet, cœlumq; hoc queſtibus vrget
Rhetorice, quod habet pro myſta funus acerbum.
Pro myſta, cui quem mihi nunc des ore ſecundum?
Siue etenim ad Celtæ florentia regna veniret,
Seu procul Hetruſci tranſcenderet ardua montis,
Seu regum ante oculos, procerum in ſapiente ſenatu,
Res magnas ageret culto ſermone Quirini,
Seu patria lingua ad populum, quod ſæpe neceſſe eſt,
Diceret, haud ſanam flectens ad commoda plebem;
Dulcia Neſtorea fundebat verba loquela.
Idem Cecropias & res & verba tenebat,
Sic vt dicenti neque res neque verba deeſſent.
O iuuenes miſeram tanto in mœrore leuate:
Linquite multiloquas fraudes, & hirundinis artem,
Et bene contextis Sophien annectite verbis.

Haud

Haud aliter vobis pulchro è certamine laurum,
E musis certam, & populo sperate salutem.

Diem suum obiit Lunæburgæ VI.Id.Decembr.

ANNO CIƆ. IƆ. XIIC.

Hanc ego veram narrationem, quam velim quis cum fructu legerit, magnæ virtuti & singulari sapientiæ Henrici Husani libenter tribui. Iam si mihi libeat, ex hac Hercinia, & ab ipso Bructero, exempla item proferam. Neque enim in omnibus benignissima natura rerum ingenii acumen, & mites animos locis asperis in vniuersum negauit: quin vix in orbe nationem videas, vbi non reperias multum boni, vt plurimum aliquid, quod alibi magis desideretur. Sed hic de animis hominum loquor. Benè autem audit nostra natio ob animi integritatem: nec abs re esse censeam, hoc nos meminisse, vt & ipsi tanti decoris, ipsiusque adeo virtutis simus obseruantiores, neque obliuiscantur minores boni huius natiui, quod vel hæreditarium dicere posse videamur. Facilius autem & accuratius propagatur virtus in familiis. Itaque hæc constantia magis etiam elucet in ordine equestri. Familia est generosa Hoimiorum, è qua sumpsi mihi, Othonem, Ioannis filium, ex huius viciniæ arce Esbecana: cuius ab annis plus, quàm quadraginta mihi studia, mores & intimi sensus fuêre cognitissimi, vt nouerim, quid de viro prædicem: cumque eius recentissima sit memoria, bonos & huius rei intelligentes mecum facturos non dubito. Nam si quos vel imperitia, vel inuidia, à veri considera-

tione, & confeſſione aufert, hoc ſuſq; deque faciam, vti debeo. Faciam autem, vti ſolemus, vt à prima Othonis educatione ordiar. Imbutus igitur illæ diuinæ indolis puer, domi à teneris morum elegantia, & primis litterarum elementis eruditus, in Belgio poſteà, & in Gallia hauſit, quæ ſunt diſciplinæ adoleſcentium: ſimul propemodum ſolo vſu exteras linguas, perinde vti maternam didicit: quod etſi præcipuum videri non debet, non tamen eſſe abs re exiſtimatur. Venit & Friburgum Briſgoiæ, vbi potiſſimum operam Henrico Glareano dedit. Glareani autem nomen clarum erat nobis pueris, tùm ob artem poëtarum, tùm quia priſcam muſicam ferè primus in lucem reuocare ſtudebat, qua in re in Italia & alii deſudauere toto ſeculo: quid profectum ſit, etſi eam artem ſemper in precio habui, mei iudicii non eſt: non autem profectum nihil, credibile eſt. Plures enim, qui idem ſtudiis coniunctis agunt, non inanem operam ponere, auguramur, præſertim in aliqua ingeniorum contentione, laudis nonnihil ex inſtituto aucupantium. Narrabat autem olim nobis Otho, quàm in Muſicis Glareanus nihil negligeret, vt in bibliotheca artis inſtrumentorum nullum genus deſiderari pateretur, vt eſt eorum proprium, qui certæ rei ſtudio ſe prorſus mancipant. Plurimum ſanè valuit & præſtitit in explicandis Latinis ſcriptoribus: neque nihil ad intelligendos Cæſaris commentarios attulit, quod hiſtorię Romanæ & linguæ amantem iuuet. Audiuit adoleſcens ſenem interpretantem Horatium, qua de re ſi-

re ſibi gratulabatur. Tum enim intelligebat, quos ex illo Venuſino fructus percepiſſet inſperatos. Qui enim poëtas diſcunt, ſcientes fabulas cum iucunditate, inſcientes aliquid ſapientiæ ſine moleſtia hauriunt. Sed aliquanto ſublimior eſt, & ad dandum promtior Horatius. Etenim non ſolum philoſophia, ſed vſu rerum maximarum eruditus, (quis enim Auguſti domum & omnem ſtatum Romani imperii ſpectauit, & introſpexit interius?) ſapientiæ præcepta & odis & libris cæteris, non tam adſperſit quàm inſculpſit. Itaque aliquando & ipſe ratus Horatium non tam poëtæ, quàm philoſophi officio fungi, non abs re, vt puto, veni in meam quãdam ſuſpicionem: Horatium, ſecundum philoſophos ad virtutem & prudentiam ciuilem apud ingenioſum plurimum poſſe, ſi quis lecto diligenter & benè intellecto auſcultet: etiã inueni, qui mecum non diſſentiret. In hoc enim conuênit ſtatim inter nos: paſſim ab hoc poëta quemque de priuato officio moneri, & boni conſilii copiam ſuppeditari, ſi quis hæc bona inueſtiget, nõ quaſi in quodam oberrantium ferarum dubio ſaltu, ſed in ratione obſepto horto ſapientiæ. Minus tamen hæc præcepta eos commouent, quibus curę minus fuerit, fugere noxia, & ſequi ſalutaria, prorſus vti qui auari animi non ſit, neque vnquam ipſe rem faciet: ſed hunc in minuta æra dies noctesq; eſſe intentum oportet, & illos ſemper artium, quas noſſe velint, ſtudioſos, vti & appellantur. Neque tamen non Otho, & erat in quibus aliis poterat, & alios colebat: in

ore autem habemus, & quæ potiſſimum tractamus, & quos præferimus aliis. Nec enim omniũ ſemper meminimus, neque neceſſe eſt. Non inanis igitur perrexit in Italiam, atque initio Pataũii ſubſtitit, gymnaſio omnium orbis frequentiſſimo, niſi quis contendat de collegiis Lutetianis. Inclaruit illic maximè medicorum ſchola, frequentatur maximè iuriſconſultorum: neque ibi locus eſt, niſi excellentiſſimo cuique: prædicabantur & obſeruabantur illo ſeculo à iuuentute Menochius & Guidus Pancirolus. De huius feſtiuitate, qua nulli cederet, & multiplici doctrina, qua ſui ordinis cæteros ſuperaret, multa etiam ex aliis audiuimus. Hæc mouerunt Othonem, initiatum iam & ſtudio legum & multis diſciplinis liberalibus, vt ſe in diſciplinam, conſuetudinem, contubernium Panciroli potiſſimum referret, quo monſtratore in quocunque genere, quantum vellet, quantumque poſſet, pergeret, ſtrenuus ipſe ad omnia. Quis quantuſque Pancirolus in diſciplina iuris fuerit, ipſius conſilia teſtantur: cuiuſmodi in aliis, loquuntur ipſius alii libri: quorum ſunt, quibus olim res deperditas & nouiſſimè inuentas inueſtigauit & perſcripſit: ſed maximè notitia vtraque dignitatum orientis & occidentis. Ex iis accuratiſſimis commentariis apparet, quis in hiſtoria fuerit, quàm in dicendo diſertus, quàm perpetuus in ſtudio ſapientiæ, quantum valuerit iudicio in omni genere. De his enim ex cuiuſque moribus & ingenii monumentis ſtatuimus. Audiuit etiam docentem annis abhinc quatuordecim (hic autem tum

tum iam admodum conſenuerat) gener meus Theodorus Adamius, atque hinc nobis retulit, vt eruditè, vt diſertè, vt ad auditorum captum accommodatè præ aliis doctoribus leges explicarit, quam vim, cum non ſolo vſu rerum, ſed cognitione variarum etiã diſciplinarum ſibi comparaſſet, inter politicos & ipſe locum facile rectèque tueretur. Capiebant ex interuallo noſtri iuuenes conſilium de adeunda Bononia, quo cum aliqui veniſſent, neſcio qui motus exoriebantur, pont. max. Paulo IV, in quibus turbis hoſpites Germani ſibi hærendum non arbitrati, ſeſe recipiebant Florentiam, vnde, vel eôdem pacata academia regrederentur, vel Piſas irent, vel Senas: ambæ parebant Coſmo Medici. Huic autem etiam curæ erat, ne quid in alterutra deſideraretur: & habebant, atque etiam hodiè habent vtrobique, neſcio quid priuilegiorum Germani. Dum illi conſilium quærunt, inueniunt ſtatim in ipſo loco optimum, vt iuuenes illi nobiles iudicabant, & res erat. Cum enim cognoſcerent, à Petro Victorio, primæ & priſcæ nobilitatis viro, quotidiè tradi ex Ariſtotele modò libros de ratione dicendi, modò alios de vita & moribus, neque non prætereà reliquos de republica, hanc ſibi cum primis optabilem occaſionem negligendam non putabant, ipſi virtutis ſtudioſi & amantes patriæ, Patriæ enim ſe natos, & rectè didicerant, & penitus ſibi perſuaſerant, & ſe patriæ vſui honorique aliquando futuros ſperabant. Erant vnâ, neque prorſus tamen æquales, inter quos de iiſdem apud cultiſſimas quaſque

gentes ſemper habitis primis ſtudiis conuenerat, Gotislobus Rotermundius, Rugius ad Pomeraniam, Daniel Schulenburgius, Marchius ad Saliſquellam, Otho Hoimius, ex Esbecano in hac vicinia. Etſi ſimul de tribus dicere non cogitaram, quod alibi feciſſem, tamen in hoc prædicando, ſodales ipſius præterire, neque ſatis commodum putaui, neque præteriri lector voluerit, qui præter hoc nobile inſtitutum, quod quidē neceſſarium, ſed multo inferius ſtudium, feliciter vnà item coluiſſent. Iuuenes enim Græco ſermone ſibi opus eſſe rati, ſiue perſuaſi ab ipſo Victorio, paucos menſes hoc potiſſimum agebant, & ex annorum aliquot interuallo reguſtatum ſermonem ita recuperabant, vt paruo negocio Græcos intelligerent: eum præſertim, quem in manibus tum totos dies ſine interpellatione habebant: neque non tamen paulatim & eos adibant, qui eôdem facerent. Quod ego mihi propterea credi fide mea poſtulo, quod me alteróne an tertio anno pòſt, illac tranſiturum Schuleburgius vnum de vetere ſodalitio tenuit, & ipſi me in ſuum contubernium in alterum etiam annum receperunt, quod ego tempus bono rei litterariæ item me benè poſuiſſe etiamnum iudico. Illi autem viri nobiles illinc, quo cuique commodum videbatur, peregrinati, denique reuerſi domum bonam quiſque & vtilem operam patriæ nauarunt. Præter neceſſarias ſeriò in litteris verſanti linguas, quaſi aliud agendo, Otho ingenii felicitate didicerat exteras, quæ hoc ſeculo maximè celebrantur. Hetruſca

vteba-

vtebatur promtiſſimè omnium, Gallicè loquebatur ſuauiter, & Hiſpanicè ſatis commodè: neque legebat nihil in primis cultiſſimarum gentium ſcriptoribus: & habebat in promtu ſcitè dicta, quæ ſtudio obſeruarat, atque iis cum in familiari ſermone, tum in deliberatione, in loco vti nouerat. Quæ ſi non ſunt prima omnium, contemnenda non ſunt, quorum ſuo tempore vſus eſt. Fuit autem, vbicunq; eſſet, non ſolum ea humanitate, vt gratus eſſet, ſed prorſus ea ſuauitate morum, vt à viris elegantibus, quoquò veniret, ipſius conſuetudo expeteretur. Ab omnibus autem vitiis adoleſcentiæ & iuuentutis adeò remotus, vt æqualium & ſodalium nemo de ipſo ſiniſtrè ſuſpicari potuerit, nedum aliquis enormis næuus in eo deprehenſus fuerit, cuiuſmodi latere non poſſunt, &, ſi lateant, oſtendantur ab inuidia. Itaque vir integerrimus, pollens item conſilio, diſertus, officii plenus, beneficus, à conſiliis fuit tribus præſtantiſſimis ducibus patriæ, Henrico fortiſſimo, Iulio pacifico, Henrico Iulio, qui hodiè iuſtitia & clementia his nationibus imperat. Fuit apud illos Otho noſter gratioſus, non iniuria, quòd tantus vir erat, & in ſenatu erat frequens, & exequebatur, ſi quid, ſiue domi ſiue foris, mandaretur, in dicenda ſententia, & tuebatur dignitatem principis, nec vſquam declinabat à iuſtitia: ita omninò offendere nullibi poterat, præſertim is, qui quid, vbi, ad quem, quomodo verba facienda à puero didicerat, intelligebat quouſque pergendum obſeruantem officii: & vbi nihil obtineas,

ibi ſuſtinendum. Namque cum potentiam ratio non coërcet, nunquam id faciet, orationis impetus: imò plæraque exaſperat importunitas. Non ſunt ad magnificas legationes obeundas idonei multi in regiis: & alius aliorum vſus eſt in minoribus negotiis, alius aliorum in magnis & neceſſariis: longinquis & ad exteros reges qui fungeretur, commodior non erat: &, ſi legati ab exteris regibus longinqui adueniunt, in iis accipiendis valebat, vt vel alius quiſquam. Audiui qui à conſuetudine aulicorum in legatione, cenſuram de ingeniis moribusque principum facerent, recteque fieri contenderent. Namque etiam prudens villicus, aratore, vinitore, piſcatore, omnibus commodis & induſtriis, vtitur: ni faciat, munus ſuum neque ſatis intelligere, neque rectè obire exiſtimetur. Legatione functum magnificè in Boruſſiam, cum bono publico in Friſiam, ſcio. Nam, quæ ante duodeuiginti annos fuêre, eiuſmodi mihi minus explorata ſunt, præter pauca, quæ primum huc profectus è Megapoli audiui, & cætera quæ vidi. De viro hoc rectiſſimè iudicare poterant doctiſſimi quique & rerum periſſimi. Erat in eo lepos Atticus, in magna verborum paucitate loquaces fortè ipſe audiebat patientius: qua de re quis cum illo conferret, ille nihil adferebat, quin pondus haberet: quod eſt vniuerſum prudentis, non minus in repub. quàm in rebus priuatis: nec ipſe ab illo vnquam abiit doctiornè dicam, an melior! qui è ſcriniis ſapientiæ ſemper aliquod dictum, vti gemmam preciosam, antè, vel paucis, vel viſam nemini, de-

pro-

promeret. Id quod mihi euenisse non inficior, non prorsus rudi veterum sapientiæ: scio euenisse & aliis, qui cum admiratione, non absque fructu, ab eius latere discederent, paucioribus fateor. Non est enim hæc intelligentia multitudinis: nec omnes discernant inter Marsyiæ musicam & Apollinis. Fortè hac re non offendit neminem, quòd opibus minus incumbebat, nec societatem faciebat cum iis, qui non sibi finem hunc esse potissimum ducerent, sed tamen sine eius respectu rem grauem attingendam vix aliquando existimabant. Ille decus maiorum tueri, & non admodum egere, humanæ felicitatis esse didicerat, & statuebat. Itaque neque litigabat ipse, & præesse litibus, quamuis præses iudicii prouincialis, non desiderabat: quique in illis rebus, siue solis, siue potissimum omnem vitam egissent, iis nihil talium inuidebat: quæ ad compositionem qua de re cunque contendentium facerent, neque ignorabat, neque negligebat. Cæterum, qui nullius fortunæ aut dignitati officeret, sed multos in vtroque nullo suo commodo, iuuaret, quod ipsum primæ cuiusdam bonitatis esse nemo negat, ei parcendum non putauit malitiosa inscitia. Referam non insusurratum ab aliis, sed quæ primum hospes ipse olim fortè audiui, cum de rebus aulicis nescio quis sermo haberetur: in quo viro nihil reprehenderes, eximia diceres omnia, in eo desiderabant, qui de se cognoscendis incogitantiores viderentur. Facilè enim inuenias quod desideres in quolibet alio. Desiderabant igitur legum cognitionem am-

pliorem: etsi tamen vbertatem nemo exhausisse rectè, opinor, credetur: nec legum plenissimam cognitionem in quouis senatore flagitari primus ipse contenderim. Namque & aliis alii etiam in hac re præstant, & alii alias causas in manibus habent: & sunt, qui de iure consulantur, & consuluntur, in arduis quibusque negotiis. Adde, quòd qui totos dies litibus discernendis non occupatur, idcirco otiosus non est, aut minus inseruit principi, & vsibus patriæ. Incidimus autem in vnam felicitatem harum nationum, cuius inuentor & largitor fuit dux Iulius, adiutor & gratulator inprimis Otho. Cum enim in imperio successisset patri Henrico Iulius, recordatus calamitatum, quæ non vnum iam seculum durauerant, detestatus bella, & quæ sunt in bellis mala, de pace & felicitate suorum populorum omnem cogitationem suscepit, nec minorem sibi laudem peperit pacis studio, quàm reges victoriis inuenerint. Etenim triumphi non laboribus solum, sed sanguine præterea constant multorum millium, interdum totorum exercituum, vt hoc modo omnis gloria facilè obscuretur, nisi fortè populos suos princeps è manibus barbarorum vindicarit: hoc enim vnicum est, quo ex animo gaudeat, & cum seruatis, iterumque beatis triumphet victor. Iulius in pietate & modestia, & litteris ad illas ducentibus à puero educatus, à maioribus non solum partas victorias, sed etiam regia beneficia in priuatos ob facta fortia, in populos ob seruatam fidem, in vrbes ob obædientiam & quædam merita contulisse recor-

recordatus, vnum fuisse hactenus omissum vidit, quo & omnes suos nec minus exteros etiam longinquos nouo vereque regio beneficio afficeret. Viderat ipse academias plures, earumq; dignitatem intelligebat: academiam esse officinam pietatis, virtutis, veritatis, omnium ingenuarum artium penuarium: In academia rectè educari, qui patriæ in sacris & omnibus cæteris seruiant: absque eiusmodi educatione si sit, iacere DEI cultum, maximam partem officii, omnem denique humanitatem. Illi erant tum in aula Guelphica quotidiani sermones: hæc sancta consilia capiebantur: videbat princeps hanc regiam munificentiam æquè se decere, vt quenquam principum, quorum exemplis excitari videretur, præsertim cum inferioris conditionis alii & ciuitates academias condidissent. Neutrum etiam dubitabat, quin & ordinibus prouinciæ facilè probaret hoc institutum, & si requirerentur, ipsi consilio ac re accurrerent, tum quod omnia in publicam salutem tenderent, tum quod non esset angusti animi natio vniuersa Brunsuigensium. Et hæc alii prædicabant, & cum primis harum rerum, vt quisquam, intelligens Otho: nec priuatim solum, sed etiam prouinciæ persuadebat hoc & publicè expedire & decere maximè. Vir enim iam tum erat, &, quid suaderet, nouerat, & qua oratione vteretur, eam habebat in promptu: prouidebat etiam, quæ ad publicum bonum & veram dignitatem sine simulatione referrentur, facilè valitura.

CAP.

CAP. XV.

Obiter Academia Iulia laudatur & aduersus Inuidiam Calumniamq́; defenditur.

HOc initium erat academiæ Iuliæ, de cuius præſtantia & bonitate cum à me non ſine cauſa pluribus locis non minus verè, quàm diligenter, dictum ſit, hoc loco minus mihi verborum faciendum putarem, niſi, quæ antè ad hanc quaſi defenſionem me impulerat, quorundam iudicii peruerſitas & animi malitia, eadem earundem calumniarum iteratione me reſuſcitaret, non ad acuendum calamum, cum in omnibus deteſter ſcribendi acerbitatem, ſed ad vindicandam innocentiam & ipſum nomen academiæ. Nam qui noſtrûm aliquos accuſant paſſim clanculum (quod enim neque in os cuiquam ipſi dicunt, neque litteris produnt, id non apertè geri palàm eſt) non noſtram ſolum exiſtimationem grauiter lædunt, ſed quem ſtatum huius florentiſſimi gymnaſii prædicare & publicè & priuatim poterant & debebant, vel ob ſolam rei veritatem, quæ in omnibus rebus ſacroſancta eſt, quod in ipſis eſt, aliquot iam annos minuunt: quod ſi non niſi per inſcitiam facerent, ipſis magis ignoſcendum putarem: etſi hæc, ſi ab ea abſit etiam malitia, retundenda tamen, & obiurganda, vel quoquo modo compeſcenda videatur, etiam ab auctoritate prima, cum rationi dicto audiens eſſe nolit, aut etiam nequeat. Nam ſi qui prorſus peregrina lingua vtatur, eius ſententiam nemo noſtrum intelligat, vt barbarorum

nemo

nemo græcè: ita profectò inueterata & obſtinata inſcitia, quæ ratio dictat & promulgat veritas, in animum non recipiet; nedum penſi aliquid habere ſinat apud ſe. Quibus plurimum gratiæ debetur, in crimen vocantur. Namque per eos ſtetiſſe, ſiue prorſus factum, vt dilaberetur frequentia iuuentutis, & tot annos hæc ſit apud nos auditorum raritas. Primum falsò bonitas ex multitudine æſtimatur. Frequentabatur autem hæc academia initio, ſiue ob nouitatem, ſiue ob conditoris beneficentiam, ſiue ob decantata paſſim priuilegia. Namque hæc ſequuntur, qui liberiorem vitã aut plus licentiæ expetunt, quod eſt iuuenum fortunatiorum. Tenuiores, qui paſſim plures ſunt, alliciuntur ſpe commodorum. Ad recentia accurrit vndique, nempe ſpectatum nemo non: quod in vnoquoque magnifico ædificio fieri videmus. Quid igitur mirum, ſi ſtatim è longinquis etiam locis quanta celebratur frequentia ad Elmum confluxerit? Nec contra mirum, ſi vt in inundationibus, ſæpè paruo temporis ſpatio aquæ defluunt, ſæpè vt exiccentur etiam valles, ſiue ex aliis cauſis, ſiue ventorum vehementia & perpetuitate fiat: ſic vel vna quapiam cauſſa, maior etiam, quàm hîc fuerit, multitudo diſſipetur, nec iidem ſtatim, nec breui permulti, ſe eòdem referant. Fuêre autem illæ plures ab annis plus minus decem. Aliquoties enim aliæ atque aliæ morborum ſpecies ingruêre, vt quibus vita cara eſſet, quæ cui animanti non eſt cariſſima? eorum alii aufugerent, alii cederent: ſemper tamen, vt ex vicinia ſeſe ad nos recipe-

rent aliqui, neque nulli è locis longinquioribus. An non ex aliquot interuallis pestilens contagium? secutum sanguinis profluuium: id visum non æquè terribile, plures abstulit: nulli prorsus familiæ pepercit in oppido. A Reno porro tantus belli motus: vt nemo aliunde huc pedem inferret, auocarentur domum alii atque alii. Non nego in ipsa academia orta dissidia, de quibus, quia sublata sunt autoritate & legitima sententia, scribere mihi nec libet, nec licet: etsi per me ea velim esse orbi notissima, quæ tamen etiam absque nostro incommodo cumq; bono publico innotuêre pridem in cultissimis orbis Christiani partibus. Dolorem autē animi mei ingentem dissimulare nequeo, quòd qui in ipso feruore negotii obmutuerant, si queant, noui aliquid moueant mali: neq; quid magis optem, quàm vt si bonis partibus studeant, aperiant ipsi sese beneuolentia & bonis rationibus: iuro, habituros aduersum neminem: me verò sibi obsequentissimum: quanto ego omnibus modestia antestare ab adolescentia studui: neque quid præter amicitiæ leges vnquam in quenquam cogitaui, nedum aliquem petulanter aggressus sim. Ad recensionem exterarum calamitatum redeo. Cum per tumultum quinto abhinc anno, vici, arces, oppida, contra leges publicas & iura humanæ societatis ab iis vastarentur, qui legitimè parere debebant, non inferre magis cuiquam iniuriam, quàm nobilis matrona modestè prætereuntem fœminam verbo lacessere. Nam libenter vrbes, quamuis grandes & potentes, cum

ma-

matronis comparo: quas tam illustri nomine de officio & modestia recte commonefieri sentio. Cum, inquam, illa nullo bono consilio magno impetu gererentur, redundatura videbatur in academiam Iuliam calamitas, & parùm aberat à nobis exitium. Eum metum si quis tum sine causſa susceptum aiat, sciat inermes esse Musas, & idcirco formidulosas. De me quid negem? omnia mea qui præter has ædiculas, & aliquot non vulgaris notæ libros nihil possideo: hos igitur asportandos aliò curaui: neque rei familiaris paruam iacturam feci. Non quæro, quô alii atque alii ierint: qui quamdiu domi suæ substiterint. Sed vide mihi hic quoque fortunam nostram. Seruati sumus diuinitus, & qui repentè de studiosa iuuentute in vicina loca confugerant, vnà nobiscum plerique se huc receperunt: non item pauciores, qui longius secesserant. Hæ videlicet non erant satis magnæ causæ minuti apud nos adolescentum numeri: sed illi, qui non docerent, quæ exterminanda sint, ex quauis academia, quam non nisi veritati ac saluti publicæ constitutam velimus. Nam qui siue priuatim siue publicè aliud spectant, alienum negotium agunt, nec proprium academiæ. Mirentur ipsi etiam illi, si proximam calamitatem silentio prætercam. Erit biennium autumno, quando rebus denuo commotis, tam ægrè cæpit se hinc mouere iuuentus: ægrè domum reuocati à suis parebāt: sed quid facerent? copiæ in nonnullis amplis vrbibus conscriptę terrorem incutiebant omnibus: sub ver, alii vel domum migra-

bant,

bant, vel quo videretur, neque iam vt redituri, ſicut antea. Nobis erat manendum neceſſariò magis, quàm deliberatò. Quo enim eant columbæ, quibus per omnes ſiluas imminere viderentur accipitres. Tam nobis, quàm ciuibus huius oppidi, denuntiabatur quotidiè periculum: & fuiſſe decretum factum de oppido funditus delendo, & tollendis ad vnum omnibus, & ſtatim creditum fuit, & aſſeueratur hodiè. Satis apparet etiamſi ſolitudo hic ſit, in neminem noſtri ordinis culpam propterea conferri poſſe. Videamus porrò, quod argumentum præſtantiæ academiarum certius ſit, ſiue perpetuum, & à quibus hoc conuelli atque labefactari credi poſſit. Namque multitudo adeò non facit ad rem, vt ſtrepitu potius res turbari, quàm ſtabiliri videātur. Immanes enim illæ copiæ, quæ vix etiam apud homines fidem inuenerunt, potius Xerxem euerterunt, quàm quidquam aliud. Neque tamen me fugit tam leui, futili & falſo argumento effeciſſe plurimum calumniam apud viros non de vulgo, qui eius vim, ſi aduerterent, intelligere præ aliis poterant, nec ipſi aures & animum dare debebant. Neque enim tum deerant, qui & mihi & aliis ex calumniantium ore tale quiddam obiicerent, cum negligentiam præterea docentium affinxiſſent, qui neque diligentiam ſuam, neque ſingularem ſcientiam probaſſent. Vtar autem in explicando certiſſimo præſtantiæ ſigno, bonitatis nomine, neque hoc nomen nunc ad cætera referam, quæ perſequeretur, qui certam perfectamque academiæ conſtitutionem, mente

conce-

conceptam perſcriberet. Multa enim ſunt, quæ vnam eandemque rem bonam efficiant, vnde non eſt vniuſmodi bonitas. Namque & de patronis, & docentium vita, doctrina, moribus, de diſciplina ille quæreret & de eorum ſingulis accurate diceret. Hic igitur bonitatem academiæ ſtatuo in hoc, quod omnes inde petunt, aut petere iubentur. Eruditionem dico, cuique in ſua diſciplina, quin etiam in quibuſque artibus liberalibus. An quid à me in hac parte meiſque familiaribus peccatum eſt? an non raro ego, & qui mecum faciunt, præſtitimus plurimum boni, quantumque in vnoquoque noſtrum fuit? Non querar, vt alii hoc neglexerint, aut nobis aduerſati fuerint. Neceſſe eſt, vt vel inſcitiæ quis nos inſimulet, vel in docendo ſocordiæ. Quod ad ſcientiam, nemo prodiit, neque quis auſit, qui quæ à nobis traduntur, in vniuerſum reprehendat. Nam ſi quis, qua in re allucinetur, nemo illorum quemquã noſtrûm monuit: monemus vel quiſque ſeſe, vel nos mutuo, vel conſilium emendationemque à ſcriptoribus petimus: quod alii ſi ſequerentur, nobiſcum ſentirent, neque à nouitiis penderent, neque ſuis opinionibus inhærerent: ſed hi neque alios audire, neque legere velint, neque ad veri inueſtigationem animum applicent, & ſint, qui ne quidem hoc opus eſſe arbitrentur. Sed fortè quos hoc malè habeat, quod bene meritos, & benè merentes nominatim prędico. Hic igitur nominabo neminem, referam quæ litteræ, quomodo apud nos tradantur: vnde bonitas academiæ Iuliæ magis eluceſcat, &, quæ

prædicaui ſcriptis, ita ſeſe habere, neque me cum aliqua cauſſa reprehendi, appareat. Initio qui docerent,aduenere ex illuſtri ludo, qui ibi erant: accerſiti & alii, vt reperiebantur, tum præſtantes,tum mediocres.Sic enim ſunt initia omnium rerum, etiam imperiorum. Quare in illo fortè nihil, aut non admodum erratum fuerit: ſicut neque in aliis pluribus, quæ cuiuſmodi eſſent, dies docuit: prout nos in omnibus rebus, in omni vita docet dies. Hoc agebatur, quod minimè erat negligendum, vt nemo in docendo videretur negligens: cui rei pœne ſatisfacere videretur ſola aſſiduitas. Hoc autem ſecus ſe habet. Namque ſi hac opus eſt, multo profectò magis antegreſſa meditatio: multo maximè vel ipſa ſcientia,vel huius ex aliis dextra comparatio. Cum ita feruerent publica auditoria, etiam priuatim cœptum eſt doceri: non ita inſanio, vt hoc falſum fuiſſe dixerim. Rectiſſimè fieret, ſi vel pares eſſent publicis doctoribus, vel ſatis ipſi eruditi ad erudiendos minores vel æquales. Credo neque fuiſſe nonnullas: neq; hoc in dubium voco, cùm è pluribus locis alii aliunde aduenirent. Cum quæ publicè docerentur, eſſet preſcriptum legibus,quidam priuatim docentium diuerſa introducebant. Accurrerant enim è ludis puerilibus adoleſcentuli, perſuaſione quadam nouæ ſapientiæ à ſuis magiſtris faſcinati. Hoc ita ſe habere, aiunt illi quoque, qui neque in hoc genere probant ſectatores veterum,&nouarum opinionum ſatores in manibus gerunt, quando gloriantur, tum temporis, & illa ratione, floruiſſe

Iuliam.

Iuliam. Eam autem infantiæ fuiſſe proximam, paulò adoleſcentior nemo negat hodiè. Hoc autem vero verbo neque improbantur prima omnia: neque verò etiam extenuantur, ſed vel laudantur, vel cenſentur in mediocribus, nedum, vt calumnia dicit, viros doctos oratione contumelia afficiamus. Forſan in procliui ſit, pro illis, extraordinariis & voluntariis magiſtris loqui: mihi autem difficile non eſt, diluere bonis rationibus, quod vix aliqua veri ſimilitudine dicatur. Fuiſſe illud ſilentio probatum, à publicis doctoribus, quod potuerit inhiberi, debuiſſe etiã, largiar: neque tamen id mihi ſumam, vt in omiſſa declamitem: quin habeo, quod loquar pro hac incuria. Erat initiò in ſtudio ſapientiæ non niſi vni demandata principis peripateticorum interpretatio. Hic autem qui tamen officium ſuum faceret, ad contendendum ſe non parauerat, cùm quòd non minus quietis amans, atque ipſe ſum, tùm quòd in certamine acri ſolus deſertusque videretur. Etenim hæc animaduerſio non eſt tradentium mathemata, nec docentium linguas, nec interpretantium poëtas aut hiſtorias. Quòd egerat à principio academiæ conditor, vt plures accerſeret, quo in omnibus rectius erudiretur iuuentus; id poſtquam ille inter mortales viuere deſiit, tanti beneficii conſeruator minimè reliquit. Nec aliud ominari quiſquam de Henrico Iulio poterat, cui iam clauum huius Argus pater nomine tradiderat, ipſe dum ſpirabat, manu dirigebat, filio omni genere litterarum excultiſſimo. Aduenimus

mus accitu huius herois plures, nec ætate, nec, opinor, doctrina inferiores, qui vnà cum aliis academicum negotium gereremus. Tum verò tantus error amplius neque latere, &, si non latebat, neque dissimulari potuit, neque debuit: & qui tum inscitiam vltrò compescerent, rectè incidisse neruos sapientiæ dicerentur, siue barbariæ. Hæc enim illa est. Etenim quin inscitia barbariæ radix sit nemo negat. Illud autem vti rectè dici potuit, ita nec illo verbo quemquam læsum bonorum, dixerit intelligens. Calumnia autem est, arrepta occasione, etiam optima quæque pessimè interpretari, idque ex ipsa arte inscitiæ, vbi neque quidquam caussis connectas, neq; ratione aliquid concludas. Malitia autem imperitiæ non minus, etsi hanc malitiæ non arguimus, facilè quiduis persuadet. Auctoritate verò etiam decretum fuit publica, vt nihil hic quisquam nouaret, aut veteribus legibus aduersarium docere auderet: tamen etiam data copia in arenam publicè descendendi, siue, si quis se singulare quippiam & visu dignum in academicum mercatum aduehere crederet, aut gloriaretur, merces suas exponendi. Præsto erat tum ipse princeps, & designati ephori, inque his primus Otho Hoimius, & harum rerum constituendarum intelligentissimus omnium, vnde ego primum dico, ante quem sederet hac in re nemo præstantior alius. Consideret mihi lector calumniæ malitiam, atque ipse æstimet, vilior ne in vlla disciplina facta sit ex illo tempore academia. Ego emendatam, & plerisque pluribus perfectam aio ex quo Hen-

ricus

ricus Iulius imperauit: cui quàm curæ ſemper fuerit publica ſalus & conſeruatio ſtudiorum ſapientiæ, hoc magis à nobis prædicabitur, quô pluribus calumniis à malitia tantus etiam princeps proſcinditur, tum hac ipſa de cauſſa magni momenti, vt iudicant, qui hoc negotium de recta educatione ad vitæ cultum intelligunt, tum ob aliam longè grauiſſimam, iamque orbi notam, in qua præter dignitatem, quam in imperio obtinet, & ſalutem ſuorum nihil quæſiuiſſe, nemo dubitat omnium, qui ipſi non multos etiam dies familiaris fuerit. Ita namque princeps ille bonus, & integer, & illorum, qui alia præ ſe ferunt, & alia moliuntur, diſſimilimus. Verùm non digrediar ab inſtituto longius. Non ſolùm, quod erat hîc boni conſtitutum, conſeruatum à nobis fuit, ſed auctiora florere cœperunt omnia, vt hoc incrementum academiæ atque maturitas rectè dicatur. Ab hoc autem, quod dixi, incremento primùm in linguarum explicatione nihil deſiderari potuit: cum multa quoque eruditiora ſcripta hic intereà publicata ſint: nec mirum, cum iuuentutem ad veterum lectionem perduxerimus, qui hîc in tanta frequentia in paucorum erant manibus: nihil item in mathematicis, quin & aſtronomica, & geographica adoleſcentuli, quando volunt, accipiunt, vel priuatim, ſi proponantur grauiora publicè: fuit ars dicendi tradita ex Tullio, & rectè ſanè: ſed erant nouitii alterius familiæ, qui paſſim in angulis artem dicendi nobiliſſimam corrumperent, & mutilarent, loquacitatem quandam anilem venditantes pro elo-

quentia: neque nunc alii prætermittuntur, & explicatur ille, cuius præceptis se confirmauit ipse Tullius. Poëtæ autem non minus ipsi Græci, quàm Latini sunt in manibus adolescentum. Iam si quis mihi irascatur, qui academiæ gratuler de ratiocinandi scientia, an non ostendit ille malitiam suam, & animi inuidentiam? Namque hoc adolescentuli non negant, se in tempore ea discere, & in iis exerceri maturè, quæ antè non intellecta, nedùm à quîquam explicata, aliquando ne quidem verbo tacta fuerunt. Quis primas & secundas intentiones definierat, syllogismum infinitum protulerat, demonstrationem eruerat? Ego cum auream rationis regulam semper prædicem, & vnicuique in quocunque genere veritatis studioso necessariam censeam: cum filo, quamuis fabuloso, Ariadnes, qui ratiocinandi artem comparant, ad rem ipsam commodè alludere puto: quod qui temerè labyrinthum ingrederentur, absque dubio perirent. Qui hanc fabulam primus excogitauit, fortè sapientiæ regulam nobis proposuit, quam qui nesciret, aut non vsurparet, erraturus in perpetuum videretur, nedum peruenturus ad vmbram veritatis. Porrò natura rerum, etsi, vt infinita, ita inperuestigabilis est, nisi, cui huius auctor ipsius adyta resignarit, qui eam solus pernouit, eiusdem conditor, tamen quæ ipsius ratione penetrantur, inter homines doctos & quæruntur & explicantur, & noua inuestigantur quotidiè: vnde nata est & confirmatur scientia, & porrò ab ingeniis augetur: eaque confirmatur

cùm

cùm ipsis rationibus, tùm effectu. Nam qua medici mirifica agunt, cuius tamen se scrutatores & discipulos & ministros profitentur, ea à re ipsa dicta physica, hîc cœpta explicari ex Aristotele & in hunc diem verè, planè diserteque iuuentuti traditur, tum ob mentis expolitionem, tum ob artem illam salutarem generi mortalium, cuius fundamenta iacit. Primæ autem philosophiæ quis antehac meminerat? cuius etiam, neque dum visæ, nomen erant qui auersarentur: sine qua tamen confusa manent omnia, determinatur nihil: prima videlicet ac certissima lux infusa humanis mentibus à conditore, inscitiæ abolitrix. Inscitia autem præsertim illa affectata nihil detestabilius, à priscis passim proditum est: neque neget, qui se hominem natum gaudeat. Illustratam præterea magis alteram philosophiæ partem, quæ vitæ humanæ rationes omnes inuestigat, relata ad actiones humanas, & dicta πολιτική, non minus palàm est: neque à me multis prædicari debet, in quo ipse potissimum & plurimum laboraui. Hæc autem ita se habere omnia, tum auditores grati, tum nostræ lucubrationes testantur, de quarũ veritate multò etiam magis, quàm, quod ad sermonem, puritate gloriari nobis absque iactantia licere arbitror. Vera enim inuestigamus, & perscribimus: quæ tentare fortè, euertere calumniantium nemo potest. Vilitatem autem, imò prauitatem illius personatæ sapientiæ suspicari licet, quod vbi nata est, inde prorsus exulat: quod Hispania & Italia procul aspectam exclusêre in perpetuum:

tuum: quòd in academiarum nulla locum certum inuenit, ac ne quidem in ludis puerilibus non negligenter institutis: quòd rectè in prima ætate educati in litteris, eius etiam vmbram fugiunt: quòd è faucibus illius erepti, sibi primæ, idque nobilissimum ætatis tempus periisse & sæpè deplorant, & simul grauiter indignantur: cumque gerras plus quàm Siculas, cum ipsi toto animo detestentur, tum refutant cæteris quoq; & acriùs & luculentiùs. Nam vt quæque illius membra rationibus confixa iaceant, accipere in auditoriis, legere in doctorum scriptis licet, qui hanc molestiam propter iuuentutem in se susceperunt. Plærique enim derident, vti fatuam: quę tamen vt furia, abigit & deterret sæpè ingeniosos, ne vel ipsi emergant, vel magno vsui esse queant patriæ. Non solùm enim non ascendunt, quô poterant, sed falsis opinionibus imbuti, falsam vitæ rationem veriori anteferunt. Ita enim fieri solet, vt vbi veritas laborat, ibi actiones ad opiniones accommodentur, quas veris sententiis atque disciplinis informari oportebat. Non est necesse, vt de facultatibus, vt in scholis nominari, longi temporis vsus obtinuit, ordinum πραγματικωτέρων sigillatim dicam, cum res clara sit: nec etiam earum Cl. doctores meo silentio se contumelia affectos querentur. Mihi causa fuit, vt in reliquis vberior, siue totus fuerim, quod doctrinarum, de quibus dixi, interpretes aliqui vapulamus à calumnia, etsi cæteris disciplinis præsidio venimus, & earum fundamenta iacimus, excepta prima cœlitus reuelata, cui multis

modis

modis litteræ, quarum genera recenſui, inſeruiunt, ſicut & cætera humana, vt ſuſpicor, omnia. In quo cum ſedulò omni vita laborauerim, inii apud bonos gratiam, offendi apud alios. Contra illos ſemper ſenſi, qui neque ordine, neque ſolidè ferunt erudiri ingenioſam adoleſcentiam, ſed vel ad ſacras litteras, vel ad legum ſtudium, rapiunt admodum rudes iuuenes, vt illi ſacris præſint, hi in foro litigent, non ſolum ante doctrinam aliquam, ſed ætatis etiam maturitatem, neque eccleſiæ neque reipub. bono. An odio verò propterea videmur digni, qui ſumus huius ſententiæ? contrà honorandi videantur, qui ſecus palàm ſuadent? alii quæcunque probando & bonis conſiliis obſiſtendo rem litterariam, ſi diis placet, pulcrè ſtabiliunt: nos minuemus academiam fungendo officio præclarè, & recta conſulendo. Ob hæc ſtudia erga iuuentutem, & merita erga patriam, ex quo tempore adueni, diſpliceo aliis, qui non meritis, ſed violentia primi eſſe volunt. Dignitatis autem, ſi qui illud eſt, ſibi hinc inde neſcio quid corrogant calumniis: neque non præterea mihi & aliis bonis viris ab annis aliquot ſine vera cauſa affingunt partium ſtudia, ipſi factioſi: denique familiares meos contumelioſè de nomine meo appellant, qui mecum ſumma diligentia in ſtudium veritatis & bonum academiæ incumbunt. Re autem ipſa diluitur altera calumnia. Nam negligentiæ rei agi non poſſunt, ex quorum auditoriis alii atque alii doctiſſimi viri prodeant. Satis oſtenſum arbitror hoc primum, & academiam Iuliam bonitate vici-

cinarum nulli cedere, ſiue nos diſciplinarum præſtantiæ auctores dicas, ſiue conſeruatores, immeritò clanculum exagitari calumniantium contumeliis. Non quidem magno mihi ſolatio eſt, ſed frangit tamen nonnihil iuſtam indignationem meam: fortem militem nõ eſſe eum, qui ab hoſtibus ictus ipſe nullos ſenſerit, vt eſt apud Thebanum poëtam. Velim nobis iniquos deterreat, quod iiſdem pœnè verbis, variante plurimum ſententia, ait Æſchylus: qui quod mali fecerit alteri, par ipſi ab alio relatum iri. Malè enim audiet, quiſquis innocentiæ maledixerit. Cæterùm, vt petita longioris digreſſionis venia, ad ſuperiora redeam, dux Iulius conditor, imò pater eſt academiæ Iuliæ: Henricus Iulius nutritor & defenſor eiuſdem. Hoc patrocinio eò magis nobis opus eſt, quò miſeriæ plus illa pertulit, & ſuperauit hactenus: quando verò manet in nonnullis ſedulitas, & in omni genere diſciplinarum ſtudium, florebit academia Iulia: quod vt perpetuum ſit, Deum precor: nec futurum dubito. Veritatis enim cultores reſpiciet iuſtitia: nec maiorem eſſe barbariæ vim, æquũm eſt, quàm ſit ſapientiæ. Qui boni aliquid in eam, quiſque pro viribus, conferunt, & ipſi participes erunt boni. Fecit hic Otho Hoimius, quod equitem nobilem, quod virum conſiliis præſtantem, & amantem patriæ decebat. Sciebat idem, quibus potiſſimùm niteretur academia, quid cuique deberetur. Senſit enim ab initio, vbi philoſophia frigeret, aut vlla eius partium, aut negligerentur alia neceſſaria omnibus

diſci-

disciplinis adminicula; cætera quamuis splendida & summè in vita necessaria academiæ dignitatem non tueri, neq; sustinere posse, ipsaq; paullatim deficere & collabi, illis quasi fundamentis subrutis. Querebamur, obuios quosque ad illa rapi, neq; præstantibus satis propositum præmii. Vtrumque concessimus: neutrum facilè emendatum iri vidimus. Neque tamen non apud nos ab initio inuenti, atq; acciti posteà alii atque alii, qui in quoq; genere scientiæ, docendi ratione & diligentia ita erudierint auditores, vt in quibusque academiis cum laude doceant, & eruditè refellant sciolorum greges. Satis dictum puto, quid, siue legationem obiret, siue in senatu sententiam diceret, præstiterit viro dignum, quem principe loco ciuitatem gubernare posse arbitramur, & quis in consuetudine hominum fuerit. Nemo puto requiret, vt rem familiarem rexerit. Neque enim hanc artem nesciat, qui ciuitati præesse valeat, sed ad hanc rem otii vix aliquid est, neque reipublicæ gubernatoribus, neque seriò studia doctrinæ colentibus. Sincerus enim scientiæ aut patriæ amor alias occupationes profundè in animum non intromittit. Sic ego de vtroq; statuo, & statuendum censeo. Ille igitur rem familiarem, etiam quam ruri habebat, vxoris prudentiæ & industriæ committebat omnem; in vnam tot liberorum educationem simul intentus maximè, quæ ipsa quoque spectat salutem publicam. Filiam educabat mater: cum suscepisset filios plures, omnes litteris erudiri volebat pater, idque sumptu suo, vt pædagogos

ipsis daret, quos vellet. Cur eorum neminem ἀπαιδαγώγητον in aulam mitteret, multis principibus notus & carus, hoc habebat causæ, ne contraria consuetudine contrarios mores imbiberent. Vbi, inquit, in pietate & modestia se confirmarint, & mihi videbitur, faciam eorum cuique potestatem, vt, quæ velint, studia colant, & quô velint sese conferant: neque eos sinam abire longius antè, quàm Latinè eorum quisque nouerit. In hoc etsi nondum est, inquit, vis sapientiæ: tamen Latinæ linguæ non rudis in veritatis & virtutis vestibulo firmiùs constitutus videatur; quoquô sese qui referant, siue perseuerent in litteris, siue eant militatum, siue frequentent regias, siue rem familiarem colant. Hæc ille familiariter multò plenius explicabat, suauiter ridens super consiliis parciorum, qui compendiis studendum, gratias in tempore aucupandas contenderent: non autem cogitarent, quanto cum valetudinis, morum, interdum non minus vitæ, quàm fortunarum periculo eiusmodi rationes ineantur. Felicitas (fateor) non pendet ab arbitrio cuiusque: quæ ad felicitatem ducunt, sunt quodammodo in potestate hominum. Quod de filiis statuit, obtinuit. Namque & Latinè sciunt, & quidem vlterius progressi, sex eorum modò aulas principum colunt, cum laude modestiæ, sobrietatis, animi moderationis, officii, industriæ: minimus natu etiamnum apud nos in litteris viuit, & iubetur à nobis fratrum vestigiis insistere, nec ipse præceptorum patris est immemor. Ita præclarè de Othone Hoimio

mul-

multos iam annos ſenſi, vt hîc prædico: neque me vel imperitiæ, vel inſcitiæ, vel inuidiæ iudicia mouent: vtinam regiarum principes, & ipſi reges, de talibus, tantiſque viris rectè ſentiant, & hos ipſos potius audiant, qui patriam amant, & ciuium ſalutem quærunt, quàm qui nec honoribus, nec opibus vnquam ſatiantur. Hanc alteram πολιτευσομένου partem, ſiue potius appendicem perſcripſi autumno,

1607.

FINIS.

I. C

Ioan

Politica

Ioan Caselii